DE

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

CARMINIBUS LYRICIS

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT
CUM DOCTORIS GRADUM PETERET

ÆMILIUS FAGUET
In Lyceo Burdigalensi rhetoricæ professor.

BURDIGALÆ
EX TYPIS G. GOUNOUILHOU
VIA DICTA GUIRAUDE, 11

M DCCC LXXXIII

DE

AURELII PRUDENTII CLEMENTIS

CARMINIBUS LYRICIS

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

CUM DOCTORIS GRADUM PETERET

ÆMILIUS FAGUET

In Lyceo Burdigalensi rhetoricæ professor.

BURDIGALÆ

EX TYPIS G. GOUNOUILHOU

VIA DICTA GUIRAUDE, 11

M DCCC LXXXIII

DOCTISSIMO, ORNATISSIMO, OPTIMO

A. DE LACOULONCHE

In Lyceo Caroli magni, post in Schola Normali
Magistro meo

GRATISSIMO ANIMO

D. D. D.

PROŒMIUM

De æqualibus aut prope æqualibus Aurelii Prudentii Clementis poetis.

---

§ I. — *Quomodo se haberet tertio et quarto seculo post I. C. apud Romanos poesis.*

Priusquam Prudentius Clemens quis et qui fuerit explanare incipio, pauca, sed quibus opus est, de iis scribam poetis qui vergente romano imperio floruerunt. Duo sunt, ut constat, tertio et quarto seculo, poetarum genera quibus attendere nobis opportunum est, profanis scilicet et christianis. Quos si summatim intuearis, illis rem et sententias deesse, his eloquendi artem palam est. Quippe profanorum plerique, quasi igneus vigor defervescat, exolescat vis excogitandi, vel eruditione gravescunt, vel insulsæ novitatis angustias adeuntes, speciem sese distorquentium præbent; non tamen sine arte, non sine doctrina, sine copia, sine mollitudine orationis. Christiani contra, cum non sententiæ graves, non rerum pondus, non vis excogitandi deficit, rudes plerique, vel artis plus æquo contemptores, horrido sermone deformes, rusticum sapientes sive barbarum, incerte insuetam tentare viam videntur. Restat ut sive Profani sententiarum fontem novum occupent, et majora sibi auxilia ex ipsis sapientiæ penetralibus petant, quod vix fieri potest nisi Christianis dent manus; sive Christiani, cura et nisu adhibito majore, a profanis, vel æqualibus, vel potius priscis, unde sua illustrent mutuentur. Quorum utrumque contigisse breviter tibi patebit.

§ II. — *Profani poetæ — Technici.*

Quam fuerint excogitandi vi egeni, tertio et quarto seculo, profani poetæ, fere ex operum titulis jam possis conjicere. Scilicet occurrit turba operum præceptivorum, quorum pleraque ad minime carminibus dignas res pertinent. Ecce Q. Serenus Sammonicus cum poemate epico « *De medicina*

præcepta saluberrima » ; ecce Alfius Avitus qui Romanorum historiam iambicis dimetris explanat; Nemesianus, paulo minora canens, qui canes et venationis artem, in *Cynegetis*, celebrandos suscipit, Virgilium non omnino infeliciter imitatus, et pluribus suæ ætatis præcellens. Accedit et geographus Solinus, et metricus Terentianus Maurus cum suo *Carmine de litteris, syllabis, pedibus et metris*, et Palladius cum quinque et octoginta distichis *de arboribus*, suæ *Rei rusticæ* additis, qui tropis adeo abundat, translatis verbis rem adeo obcæcat, ut prosam orationem vehementer desideremus. Quos inter poetas, vel in imitando humiliores, vel eruditione graviores, Rufus Festus Avienus eminet qui Arati *phœnomena* et *prognostica* in latinum convertit, Dionysiique « *Descriptionem orbis terræ* » in latinum sermonem vertit. Alterum poema geographicum, scilicet « *Oram maritimam* » totum sibi vindicare potest. Minora quædam opuscula pretermittere licet. Illi tribuuntur carmina quibus (nonne scolasticum id et vere puerile?) nonnullæ Virgilii et T. Livii fabulæ amplificatæ sunt. Quidquid id est, maxime algidus hic poeta est. In istiusmodi rebus friget poesis et quasi torpet. Quin et ipse Decimus Magnus Ausonius (¹) præceptivam poesim usurpare studuit, et, geographi partes sustinens, *Ordinem nobilium urbium* scripsit, *Descriptionis orbis* vel *Oræ maritimæ* quasi æmulus. Quod illi parum contigit, qui jejuno hic et exsucco, præter morem, utitur sermone.

§ III. — *Profani poetæ — Lyrici, elegiaci, bucolici.*

Si ad sinceram poesim et meram te vertas æque te a spe repulsum habebis. Quippe inter profanos scriptores lyricus apparet vix unus (nam nec Sulpicii Luperci, nec Focæ nomen proferre decet), Ausonius scilicet, idem qui, tiburtini salis non adeo immemor, jocoso plectro servum pigrum seriusque dormientem increpitat, parvi ponderis opus, tamen in tantâ jejunitate gratum.

Sunt equidem elegiaci, non pauci, non temnendi. Memorare libet Ausonii Epigrammata, Epitaphia, Idyllia, pleraque elegiacis numeris, non sine laude, adstricta. Placet et Claudiani, non summam Idylliorum, sed *Veronensem Senem* in memoriam revocare. Fatendum est tamen hujusce modi opera, tertio seculo et quarto sæpius ridiculis jocis et puerilibus præstigiis deformatos et dehonestatos fuisse. Adest Publilius Porphyrius Optatianus, merus faber, qui misero Ἀκροστιχίδος studio uritur, immo idyllia ad *syringis, organi*, aliarum rerum formam dolat et construit. Adest Pentadius, novum et mirabile monstrum nostris objiciens oculis, carmen serpentinum scilicet, ita dispositum ut, quasi circulo, desinens ad initium

(¹) Profanis scriptoribus annumerandus, cum quia senior, ut conjicitur, Christianus factus est, tum quod prope nulla christianæ fidei vestigia ejus in operibus reperiuntur.

redeat distichum, anguis instar qui suam ipse caudam ore petit [1]. Accedit Arborius, gravior et sanioris judicii, lepidus etiam, et Propertianum saporem interdum referens, inertior tamen et languidulus in brevi poemate « *In nympham nimis cultam* ». Optimi, ceterum, hujus ætatis poetæ præstigiis, nugis saltem indulgent. Videas Claudianum sudare multum multumque laborare in hystrice, magnetico lapide, torpedine describendis; videas et Ausonium *ropalicos* versus effutientem, vel carmina dimidia parte græca, latina dimidia, vel alia istiusmodi edentem portenta.

Bucolica poesis sibi vindicat Calpurnium Siculum, non contemnendum scriptorem, concinna operum compositione, venustate descriptionis, lepore et mollitudine sermonis eum qui diutius legentis animum detineat. Molle atque facetum æmulari studet, non semper infeliciter, ducemque et magistrum Virgilium sequitur. Nescio quid vividius, validius, torosum magis desideres. Quod non magis apud Ausonium reperis cum bucolico generi studet, sive in Idylliis, sive in Eclogis.

§ IV. — *Profani poetæ — Epici.*

Languent et magis epici poetæ, uno excepto. Angusti spiritus homines, in epicis vix solitum Idyllii modum excedunt. Dat nobis Reposianus « *Martis et Veneris concubitum* » 182 hexametris descriptum, nullo fere lepore, ne sordes quidem tentans hujusmodi argumenti attenuare, inurbanus et pinguis ingenii.

Sine nomine poetæ ad nos pervenerunt duo, quorum alter « *Achillem in Parthenone* » 89 hexametris effinxit, alter « *Didonis ad Æneam* » epistolam 150 hexametris. Uterque rhetorum ludum magis sapiunt quam integram antiquitatem; ille turgidus æque ac putidus, non sine prosodiæ interdum erroribus; hic sententiis et sententiolis plus æquo abundans, nimiumque repetitis crebro clausulis, cantilenarum more (quod sæpius nobis posthac occurret) indulgens. Nihil de Vespa dicendum qui « *Judicium coci et pistoris judice Vulcano* » scripsit, adhibita pudenda scurrilitate et litterarum triviali mutatione (*Satyros, Saturos;* alia istiusmodi), nisi quod « *scimus inurbanum lepido secernere dicto* » ; nihil de Patricio quodam, graviore poeta et parum expedito, qui obsoleta fabularum farragine *nuptiale carmen* pressit. Ad Claudianum properemus.

Multiplex ille habuit et vere altum ingenium. Idyllia, laudationes, satiras, epos aggressus, adeo æquales præstat ut aurei seculi poetis annumerari fere possit. In Idylliis varius, lepidus, quamvis ad nimis humilia descendat, ut supra dictum est, in laudationibus magniloquus et sublimis, in satiris vehemens et splendidus, cum infames optimates dilacerat, calcat, « *absolvitque Deos.* » Acrius tamen desævit et longius debacchatur

[1] Hoc modo : Res eadem assidue momento volvitur uno
Atque redit dispar res eadem assidue.

quam ut legentem non tædeat inexpiabilis odii et indefessæ indignationis. In epicis carminibus fere absolute laudandus (nisi quod *Bellum Gildonicum* paravit, ut ita dicam, potius quam debellavit), heroem suæ musæ non imparem, Stiliconem scilicet, nactus, nobili impetu emicat exsultatque, ut Virgilium ipsum audire interdum tibi videaris. Epos autem, quodam modo, divinum affectans, in *Raptu Proserpinæ,* patet quo discrimine ab Æneide procul recedat. Ibi, ut in plerisque (fatendum est) grandiora professus, si minus ampullatur, tumet saltem, nervos tendit, continua virium intentione fatigat, nimio sermonis splendore oculos percellit. Abrumpi interdum, durescere etiam fluidos et molliores numeros fastidiosus optes. Elegantiæ denique studiosior, ab inornatis et dominantibus verbis adeo superbus abhorret, ut ad eruditam nimis, nimis obstrusiorem periphrasim sæpius confugiat, et per ambages medias operose lasciviat.

Hoc modo se habent profani poetæ, quos res plerumque deficiunt, judicium nonnunquam, quos nescio qua rapit ad fabrilem aut joculatoriam artem frivolitas, ingeniosi ceterum, nec verborum industriæ rudes.

§ V. — *Christiani poetæ — Epici iidem et technici.*

Hoc primum Christianos tertii et quarti seculi poetas evolventi in oculos incurrit quod minime iis generibus carminum studuerunt quæ minora vulgo appellantur. Nullus elegiacus, bucolicus, epistolaris, nullus idylliorum scriptor. Omnes ad magna nituntur. Si quis epigrammata, epitaphia fingit, docendi gratia fingit, vel Dei celebrandi. Epicis autem et technicis et lyricis carminibus incubuerunt, ita tamen, ut nunquam epos a præceptivo opere secreverint, nunquam ad narrandum scripserint, semper narrarint docendi causa, et in narrando edocuerint. Sunt igitur duo tantum christianorum poetarum genera, hinc technicorum eorumdem et epicorum, illinc lyricorum : quorum illi hoc præcipue spectavisse videntur ut eruditos *gentiles* fidem novam docuerint; et, postquam primum docuerant, paulatim, movendi acrius causa, exemplis multis amplisque, epico more, præcepta illustraverunt; his autem propositum fuit *fideles* simul delectare, movere, solari; ita ut ad eruditionem illud genus, hoc ad popularem sensum inclinetur.

Fecit indignatio primum versus præceptivos apud Christianos. Nam, ut Tertullianum prætercam, cui omnino temere carmina aliqua assignantur (¹), primus Commodianus Gazæus versus edidit ut Christiana fides defenderetur. Duo illius supersunt poemata, *Instructiones adversus gentium Deos pro Christiana disciplina* et *Carmen apologeticum*. Hæc sunt opera non impetu, spiritu, sublimitate inopia, sed fabulis mixta quas a plebe scriptor acceperat (Neronis, ut exemplo utar, non mortui, sed longinqua

(¹) V. Bæhr : *Geschichte der Roemischen Literatur. Die Christlichen Dichter*, p. 21, 22, 23, 24, 25.

in regione latentis, mox Antichristi specie redituri) nec non conviciis et contumeliis referta omnino contemnendis. Adde orationis vitia; prosodiam si minus ad auctoris libitum, ad vulgi saltem aures accommodatam; quippe vel breves producit, vel longas corripit (quod non semel nobis erit animadvertendum) prout aut elevatam usurpat syllabam aut depressam. Accedunt puerilia, tituli Ἀκροστιχίδων in figuram, versus qui litteras A, B, C et ceteras ex ordine digerunt, alia hujusmodi.

Majore concinnitate, altiore idem ingenio enitet Lactantius Firmianus. Cujus memineramus cum scriberemus supra profanos poetas, postquam Christianis dederunt manus, novam excogitandi vim et sententiarum gravium fontem nactos esse. Hic enim, urbanus sane et lepidus elegantiarum arbiter, antequam Christianus foret, aut « *De Phœnice* » ingeniosum et nugatorium poema componebat, aut ὁδοιπορικόν de Africa, geographum, æqualium more, agens, aut (si hoc illi opus tribuendum) « *Symposium* » subobscurum et subinsulsum; postquam ad Christum transiit, « *De Passione* » epicum carmen scripsit, valde admiratione dignum, in quo solitæ orationis salubritati et elegantiæ accedit spiritus et sublimitas.

Si « *De Passione* » carmen non Lactantio, sed posteriori cuidam tribuendum est (de quo adhuc ambigitur), gratia C. Vettio Aquilino Juvenco contingit primi epici carminis ad gloriam Christi compositi. « *Historia Evangelica* » amplum productumque poema (3233 hex.) secundum Sanctum Matthæum, cum gratulatione, extremo opere, ad Cæsarem (Constantinum Magnum), candore sententiarum, insueta his temporibus orationis modestia et subtilitate commendatur, dignum sane quod a tot et tantis scriptoribus, Sancto Hieronymo, Fortunato, Alcuino, Petrarcha laudatum sit; mendosum tamen, prosodia sæpissime nutante, Commodiani instar, ἀρχαϊσμῷ crebro occurrente. Ejusdem auctoris, ut verisimilius est, alterum poema habemus « *Librum in Genesin* » (1441 hex.) simillima et oratione et prosodia. Hic hexametris, quod insuetum adhuc, lyricæ partes quædam inseruntur, ut *Canticum Moysis*. Tribuuntur Juvenco duo insuper poemata : *De laudibus Domini*, laudibus et Constantini additis, *Triumphus Christi*, brevius, iisdem utrumque dotibus vitiisque.

Alterum Lactantium se præbet Marius Victorinus, scilicet qui ex rhetore profano poeta Christianus factus est. Tria poemata, nisi plura, Victorino assignanda sunt : « *De fratribus VII Machabæis interfectis ab Anthioco Epiphane* » (fere 400 hex.), *De Pascha Domini* (70 hex.), « *De Jesu Christo Deo et Domino* » (137 hex.). Hæc carmina vi et impetu non semel admirationem movent. Sermo is est qui vere rhetoris umbratilem vitam in memoriam revocet, emendatus, politus, mendosus nunquam, operosus tamen, difficilis, ad magna interdum ægre nitens, nimia cura adhibita veteres et laudatos poetas, Virgilium imprimis, continuo imitandi. Animadvertendum nobis primum fuisse Victorinum inter Christianos qui translationem verborum ad amplam effusamque ἀλληγορίαν deduxerit, dicendi, vel potius docendi genus quod tanto postea in honore fuit. Quippe

in poemate « *De Pascha Domini* » videnda est arbor patula, sublimis, felix, longe lateque, longius in dies effusa, cujus sub figura Christi numen intelligitur. Crebro nobis posthac hujusce modi σχήματα occurrent.

Hæc sunt Christianorum ætate Prudentium præcurrentium epica carmina, magis ethica quam epica, docendi causa exarata, grandia plerumque sententiis, sæpius sive oratione sive prosodia mendosa.

§ VI. — *Christiani Poetæ — Lyrici.*

Ad vere propriam et domesticam Christianorum artem accedimus. Ii erant Christiani qui, nisi jam inclinatis et deminutis latinis litteris venissent, amplam et vere vividam lyricam poesim veteri Romæ dedissent. Lyræ enim vehementi animi affectu opus est, hisque imprimis motibus qui e religione oriuntur. Quæ causa est cur Romani fere nunquam hoc in genere excelluerint; cum, vel Horatii tempore, jam senescenti antiquo cultu, nihil sit carmen lyricum nisi otiosi artificis et remissi jocus, Græcorum ad imitationem expressus; postea fere omnino languescat et obsolescat. Christiani vero materiam lyrici carminis afferebant, quam amplam, quam divitem, quam novam! Obstabat tamen quominus mature omni laude digni forent, primum quod lyricæ imprimis poesi nullo modo mediocri esse conceditur, leges contra multiplices, reconditæ, subtiliores imponuntur, dein quod multum aberat ut præsentia ad exemplaria lyrici christiani sese accommodare possent, denique quod plerique nihil aliud primum spectaverunt nisi ut fidelium animos, rudium sane et pene rusticorum, allicerent et solarentur. Unde accidit ut, cum in plerisque Christianorum operibus, tum præcipue in lyricis, tam impar sententiis ars dicendi, sermonis vel sinceritas, occurrat.

Verisimile est Christianorum ὑμνολογίαν orientali e fonte ortam esse. Constat, Plinio Juniore auctore, carmen ad Christum omni memoria a Christianis in provinciis orientalibus per symposia cantatum fuisse. Quæ cantica, saltem ex parte extemporalia, vulgo in oriente usurpata fuisse confirmat Sanctus Paulus [1] a quo accepimus nihil aliud hæc fuisse carmina quam solutam orationem, modo quodam et numero, populari et quam simplicissimo, servato. Quæ cum ita essent, restabat, primum ut hic mos ex oriente ad occiduas partes sensim transmigraret, deinde ut populares isti numeri ad certam probatamque metrorum rationem dirigerentur; quorum utrumque gradatim occulteque, Hilario autem Pictaviensi imprimis et Ambrosio et Damaso adjuvantibus, contigisse videtur.

Sanctum Hilarium enim, postquam diu in oriente versatus est, hymnorum compositioni incubuisse patet, lisque sub judice est non utrum hymnorum scriptor fuerit necne, at qui sint hymni Pictaviensi episcopo tribuendi. Opera autem lyrica quæ plerumque auctori Hilario assi-

[1] *Epistola ad Ephesios.*

gnantur plebeii carminis speciem præbent, cum et mendosæ orationis, mendosæ prosodiæ sexcenta exempla oculis objiciant, et, quod singulari documento est, similiter desinentes versus vulgo habeant. Ne valde obscuram infinitamque pene rem discutere nitamur, dicendum est tantum, ex omnibus quæ de Hilario hymnologo tradita memoriæ sunt, constare Gallicis in ecclesiis morem fuisse celebratum, medio seculo quarto, hymnorum ex iambicis dimetris plerorumque constantium, versibus sæpe similiter desinentibus.

Plura, certiora præsertim, de Sancto Ambrosio Mediolanensi episcopo traduntur. Qui, eximio ceterum ingenio, grandi et forti animo, cum magnam subeundam haberet contentionem adversus Arianos, confirmandam autem ecclesiam suam, quæ tam gravibus in angustiis temporum, semper in eo erat ut arietaret, exemplo ceterum sumpto fortasse ex Hilario Pictaviensi, verisimilius e Sancto Basilio Magno qui jam hymnos canendos, voluptatibus a secularibus fideles avocandi causa, induxerat, sibi proposuit consuetudinem hymnorum Mediolanensem in ecclesiam invehere. Voti omnino compos fuit, ut ab Augustino, inter alios, accepimus, qui [1] se vehementer commoveri meminit Mediolanensium canticis, tum (scilicet cum ad baptisma accessit) admodum recentibus, ceterum admonet hunc morem tum primum in Occidentalibus partibus fuisse vulgatum, Orientis instar, postea vero per omnes provincias serpsisse et invaluisse, ita ut occidentalis latinæque ὑμνολογίας auctorem vere fuisse Sanctum Ambrosium plane pateat. Non immerito Ambrosii carmina per ora hominum volitaverunt, quæ sane spiritu, impetu, granditate, adde subtilitate maxime popularem ad sensum accommodata, mire proposito respondebant. Pleraque nihil sunt aliud nisi matutinæ, vespertinæ, vel quolibet modo solemnes *preces*, copia aliqua figurarum adhibita, numeris, probatis equidem, sed popularibus, additis. Quædam, paulo productiora, docendi ad finem parata videntur, cum Christianæ fidei sensus quosdam vel præcepta explicant illustrantque, vel jam rationem hanc similitudinum præbent quam συμβολικῶς ἔχειν dicere solemus. Quod ad sermonem et prosodiam attinet, nunc quoque fatendum est parum normam probataque exempla scriptorem curavisse, et, litteratus omnino et ornatissimus quamvis foret, tantum popularis cantilenæ commoda spectavisse; unde et humilior interdum sermo, et prosodia syllabis, prout sive elevatæ sunt sive depressæ, obsequens, non ita tamen ad populares usus descendens ut versus similiter desinentes, quod postea pervulgatum, animadvertantur.

Multum debent Damaso « Romanæ urbis episcopo » (ut Hieronymus ait) cum Christiana fides, tum litteræ christianæ. Qui enim, non solum monumenta martyrum curavit, celebravit, suis epitaphiis vel epigrammatibus ornavit, sed maximo etiam studio incubuit ut hymni ad Dei gloriam compositi, sive Ambrosii, sive Ambrosii instar scripti, dictique *Ambrosiani*,

(1) *Conf.*, IX, 6.

in ecclesiis diu noctuque certis diebus et horis canerentur, ita sane ut hymnorum consuetudo, quod ad occidentales partes pertinet, ab Ambrosio equidem auctore, a Damaso vero curatore proficiscatur. Major pars poematum quæ sub Damasi nomine memoriæ tradita sunt, brevissima sunt, nec ad alium finem spectantia nisi ut in monumentis martyrum, ecclesiis, sacellis, tumulis (suum ipse epitaphium Damasus composuit) inciderentur. Pauca tamen ampliora, *De Virginitate,* teste Hieronymo, scripserat. Omnes media ætate, nostris temporibus plerique *Hymnum de Beata Agatha* Damaso assignandum esse opinati sunt. Sincerus horum operum sermo et emendatus, subobscurus tamen, nec eadem qua seu Juvenci sive Ambrosii scripta, subtilitate probabilis. Non male tornati versus; prosodia autem, quod tam crebro nos iterare tædet, non semel nutat, extra normam errabunda, sæpius quasi sub syllabarum seu elevatarum seu depressarum ditione jacens. Quin jocatur sæpius Damasus, pessimo suæ ætatis more, ἀκροστιχίδων specie versibus dispositis, vel versus ut similiter cadant eumdemque auribus sonum percutiant efficiens, saltem in *Hymno de Beata Agatha.*

Non solum Ambrosii hymnis vehementer commotus fuerat Augustinus, sed etiam, ut verisimillimum est, ad imitandum episcopum Mediolanensem sese dedit. Ei pauci hymni tribuuntur, parum digni quibus incumbas; quippe inusitati sunt generis et parum mirabilis. Videntur duntaxat ad plebeium usum accommodati. Simpliciores, subtiliores, ne dicam humiliores, omnia acceperunt quæ diligebat vulgus, a quibus autem eruditi et litterati abhorrebant: scilicet versus ad unum sonum vergentes, ita ut (in Hymno *De cælorum magnificentia*) vel tres versus continui similiter desinant, quod (aut fere) ab Italis recentioribus *terza rima* appellatur; adde serpentinas, ut ita dicam, strophas, ita dispositas ut a quo stropha incipit versus idem eam concludat; adde stropharum initia litteras A, B, C et ceteras ex ordine præbentes, seu joci causa et libidinis, sive, cum ad usum popularem ea carmina spectarent, memoriæ adjuvandæ causa. Inde saltem patet, non solum versus similiter desinentes, ut constat, sed eos etiam jocos, quos vidimus indulgentius a profanis poetis usurpatos, non parum vel populari sensui congruisse.

§ VII. — *Quomodo se haberet, Prudentius quum scriberet, apud Romanos poesis.*

Tibi patet, tertio et quarto seculo, quasi duo itinera poesim calcavisse; hinc scilicet profanos, antiquæ ejusdemque sinceræ elocutionis curatores, verum ad humiliora plerosque descendentes et pusilla, christianos illinc ad sublimia tendentes, opibus crebro artis deficientibus. Fuit autem tempus, quarto desinente seculo, cum et rhetores, vel rhetorum discipuli, utputa Paulinus Nolensis, Ausonii alumnus, christianæ pietatis ardenti affectu impulsi, ad sublimia tendere cœperunt, et christiani longe majore studio

arti et elocutioni incumbere. Quæ ætas, a Claudiano ceterum, mox a Rutilio commendata, longe antecedenti præstat quod ad poesim pertinet, cum non solum occurrunt eximio ingenio non pauci scriptores, sed pateat etiam majorem vulgo curam elocutioni, puro et sincero sermoni, genuinæ latinitati, incorruptæ prosodiæ adhibitam fuisse. Tunc fuit, fere ausim dicere, litterarum latinarum reparatio, unde conjicere possis multum adhuc roboris in antiquo latini sermonis stipite infuisse, novo, e Christiana fide orto, succo accedente, ita ut nova litteris latinis spatia, fortasse ampla et inclita, patuissent, nisi Barbarorum colluvie omnis in longum latinitas, urbanitas, humanitas esset obruta.

Qua potissimum ætate Aurelius Prudentius Clemens enituit, qui non minorem quam profani litteris latinis restituendis curam adhibuit, non minore impetu quam Christianorum magistri et duces, christianam fidem defendit, illustravit; qui ceterum, cum Christianorum poetarum alii præceptivis poematibus incumbebant, alii lyrica attingebant, utrique deditus, velle visus est rationem omnem litterarum christianarum complecti, veterum latinarum litterarum specie repetita. Lyrica enim opera scripsit, præceptiva, pugnacia, παραινετικά, ita et docendi semper et delectandi una studiosus, ut et lyricis præcepta nunquam non inserit, et præceptivis in operibus nescio quid lyrici impetus et exsultationis retineat. Quem igitur cum diligenter perpendemus, nihil aliud quam introspiciemus eximium eximiæ ætatis documentum.

CAPUT PRIMUM

Quis fuerit Prudentius, quæ ejus vita, facta, opera.

---

§ I. — *De Aurelii Prudentii Clementis loco, ortu, vita, morte, moribus.*

Prope nullum habemus fontem unde quæ ad Prudentii vitam pertinent hauriamus, præter ipsius scripta. Sidonius Apollinaris, in epistola quadam, Prudentii nomen tantum præstringit his verbis : « *Non similis scientiæ viri, hinc Augustinus, hinc Varro, hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur.* » Prudentii tantum *Psychomachiam* Alcimus Avitus uno versu attingere et significare videtur :

> Quæ prudenti olim cecinit Prudentius ore.

Hoc de Prudentio Gennadius [1] : « *Prudentius seculari litteratura eruditus composuit troceum* [2] *de toto veteri et novo testamento personis excerptis. Commentatus est in morem grecorum exemeron de mundi fabrica usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem ejus. Composuit et libellos quos greca appellatione pretitulavit apotheosis, psychomacia, amartigenia, id est de divinitate, de componctione animi, de origine peccatorum. Fecit et in laudem martyrum sub aliquorum nominibus invitatorium librum unum et hymnorum alterum, speciali tamen intentione adversus Symmachum idololatriam defendentem* EX QUORUM LECTIONE AGNOSCITUR PALATINUS MILES FUISSE. »

Nil ultra. Nobis vero contigit ut, callidis æstimatoribus carens, Prudentius ipse documentis quibusdam et suis præsertim operibus veriorem et pleniorem sui effigiem exscriberet. Quam, ipso duce et magistro, accuratissime nunc aggredimur delineare.

Aurelium Prudentium Clementem nomina habuisse Nostrum ex omnibus documentis patet. Plerique *Marcum* prænomen, quidam *Flavium* addunt. *Marcus* prænomen non in codice Puteano (Biblioth. Nation. Parisiensi 8084)

(1) *De Viris illustribus*, 13.

(2) Sic in Vaticanæ cod. palimpsesto Alex. 2077 a Dressel lectum. Video in codice Biblioth. Nation. Parisiensis (*Nouvelles Acquisitions latines*, 241) Κyroχηum *(sic)*; quibus nominibus Dittochæon haud dubie designatur.

antiquissimo, maximi quacumque ratione ponderis, qui ineunte sexto seculo videtur exaratus, reperitur, nec in Romanis codicibus quos Dressel accuratissime perlegit. Recentioribus in codicibus littera M addita videtur, sive incuria, sive Marci Aurelii nescio qua recordatione efficiente ut prope sponte sua littera M nomini Aurelio accrescat. Quod ad Flavium prænomen attinet, nullum testimonium occurrit nisi in chronicis quæ sub Dextri nomine circumferuntur, in quibus ad ann. 388 legimus: « Floret Fl. Prudentius... » Quæ litteræ Fl, nullo alio documento nobis obversante, nobis videntur nihil aliud esse nisi litteræ a quibus FLORET incipit indiligenter repetitæ [1]. Nihil de hoc *Flavio* codices, quos sive Dressel vidit, sive ipse versavi. Nostrum igitur Aurelium Prudentium Clementem vocemus.

Hispanum fuisse Prudentium inter omnes sine ulla controversia constat. Apud Henricum Florez (*Historia sacra* I, cap. IX, 9) legimus Clementum familiam Cæsaraugustæ floruisse. Quod nisi his poetæ versibus eluceret :

Nos Vasco Hiberus dividit
Binis remotos Alpibus
Trans Cottianorum juga,
Trans et Pyrenas ninguidos [2],

ipsa Prudentii scripta, indoles, ingenium ultro profiteretur. Rebus enim hispanicis vernacula quadam pietate studet incumbitque. Sanctorum encomia quæ Peristephanon inscribit a martyribus hispanis exordiuntur, et in his pleraque versantur. Hæc et quodlibet operis genus absolvit, ita quodam animi impetu fervens, acer, pugnax, ferox, magniloquus, ut hispanicam quasi feritatem in eo facile deprehendas. Quamvis Horatii et Virgilii vestigiis insistat, Senecam, Lucanum, quin immo Martialem, patria contagione, sapit et redolet.

Quæ vero urbs Hispaniæ Prudentium civem sibi merito vindicet ambigitur. Eadem, quæ supra commemoravimus, chronica Dextri referunt Prudentium « *patre cæsaraugustano, matre calagurritana natum* » nescio quo auctore. Alii autem Cæsaraugustanum fuisse Prudentius opinantur, alii Calagurritanum, alii, pauciores, Tarraconensem. Qui Cæsaraugustam Prudentii patriam esse putant (inter quos Aldus, Joannes Vasæus in Chronico Hispano ad annum 351, Stephanus Chamillard in editione ad usum Delphini, Georg. Fabricius, Bæhr) nituntur iis locis Prudentii poematum :

Perist. IV, 1 :

Bis novem *noster* populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro
Cæsaraugustam vocitamus urbem
Res cui tanta est.

(1) Cf. Dressel, Prudentii editionem, *Prolegom.*, p. 2.
(2) *Perist.*, II, 537.

Perist. IV, 97 :

> *Noster* est, quamvis procul hinc in urbe
> Passus ignota dederit sepulcri
> Gloriam.......................

Quid autem? *nostram* quoque Tarraconem nominat (*Perist.* VI, 143) :

> O triplex honor, o triforme culmen,
> Quo nostræ caput excitatur urbis
> Cunctis urbibus eminens Hiberis!

quam urbem fuisse Tarraconem ex omni contextu liquet.

Nostram et Calagurrim non semel appellat, scilicet *Perist.* I, 116 :

> Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit
> Martyrum cum membra *nostro* consecravit oppido...

cum de sanctis martyribus loquitur Emeterio et Chelidonio calagurritanis; et *Perist.* IV, 31, cum exclamat, de martyribus hispanis locutus :

> *Nostra* gestabit Calagurris ambos
> Quos veneramur.

Nostram et « Rempublicam Romæ » (*C. S.* I, 36) *nostrum* populum qui Romæ habitat (*C. S.* I, 192) nuncupat, unde Dressel putat Prudentium *nostrum* pronomen usurpavisse quoties sive Hispanos, sive Christi fideles significabat.

Si velis tamen, huic pronomini confisus, niti fictum « *nostrum* » a vero secernere, primum tibi Tarraco removenda est. Postquam enim in carmine quod supra commemoravimus (*Perist.* VI) *nostram* Tarraconem dixit (v. 143), paulo inferius (v. 150) Tarraconenses allocutus ipsos, addit :

> Vestrum psallite Fructuosum.

non *nostrum*.

Restat inter Cæsaraugustam et Calagurrim contentio. Quarum urbium, cum equidem hanc litem semper sub judice mansuram existimem, huic tamen paululum favere ausim. Notandum est enim duobus martyribus Calagurritanis de quibus in primo Peristephanon mentio est, obscuris plane factis et fama, honoris quasi sedem assignatam esse, eosque in prima velut acie martyrum præpositos fuisse; adde quarti Perist. locum in quo hic, de quo agitur, « *noster* » usurpatur, quem hic non invitus proprio sensu intelligendum recipiam. Cum enim Hispaniæ plurimas urbes poeta enumerat et congerit, quæ, supremo die, obviam adventanti Christo processuræ sint, et sua quæque, tutelam sibi et præsidium, ossa

martyrum prælaturæ, « *nostram* » prædicat *nullam* præter Calagurrim. Omnem liceat locum referre :

Bis novem *noster populus* sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro :
Cæsaraugustam vocitamus urbem
Res cui tanta est.

....
....

Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram,

Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quæque pretiosa portans
Dona canistris.

Afra Carthago tua promet ossa,
Ore facundo Cypriane doctor :
Corduba Acisclum dabit et Zoellum
Tresque coronas.

Tu tribus gemmis diadema pulcrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.

Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est,
Emicant juxta lapides gemelli,
Ardet et splendor parilis duorum
Igne corusco.

Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda.
Nostra gestabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

....
....

Unde non sine causa quidam colligunt Calagurritanum fuisse Prudentium. Si tamen temerarium existimes, uno tantum loco et eodem dubio fretam, Calagurrim suum civem Prudentium vindicare, saltem tibi confitendum est, ex omnibus istis documentis, Prudentium ex Hispania septentrionali fuisse ortum, quod ipse manifestissime declarat, quum dicit (*Perist.* VI, 146):

Exsultare tribus licet patronis
Quorum præsidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

Non sine nomine gentis erat, si Henrici Florez *Hispaniæ sacræ* credimus qui floruisse Cæsaraugustæ Clementum familiam dicit (I, cap. IX, 9). Nihil ultra nobis occurrit.

Natus est, si ipsi credimus, Salia consule [1], id est, si fastis consularibus et *Arti tempora definiendi* [2] confidis, anno post J. Christum 348. Quod ad pueritiam attinet, impensiore nos diligentia ipse docet (Præf. universa, 7) :

Ætas prima crepantibus
Flevit sub ferulis.........

Togam deinde sumpsit, quod ea verborum ambiguitate memorat ut animi pendens quæras prætextane an virilis hæc toga fuerit. Hæc enim (Præf. universa, 8) non satis ejus sententiam aperiunt :

..................Mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.

« Falsa loqui, non sine crimine » vel de rhetorum officinis, vel de forensi studio dici potest. Quæ quocumque modo sint, palam est causidicum Prudentium factum esse, cum dicat (Præf. universa, 13) :

Exin jurgia turbidos
Armarum animos et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.

Quid his proximis verbis significaverit parum liquet. Non enim sunt forensibus occupationibus dedito tot subeundi casus. Nonne existimandum sit nostrum, his temporibus, disputantium tumultu et turbine raptum fuisse, quo sub finem seculi quarti duæ religiones vehementissime jactabantur, et oratione soluta, quos deinde versibus acerrimis vexavit, scilicet omni genere hæreticos aut falsorum Deorum cultores, primum exagitavisse? Quo more si res illi se habuit, satis causæ fuit cur modo secundis uteretur rebus, modo asperis casibus conflictaretur. Ad summam certum est Prudentium per juventutem fuisse rhetorum discipulum, causidicum, verisimile factiosum.

Adde libidinosum, sed in credendo cautus. Dicit enim ipse (Præf. universa, 10) :

Tum lasciva protervitas
Et luxus petulans (heu pudet ac piget)
Fœdavit juvenem nequitiæ sordibus ac luto,

sese ipse arguens, ut Tertullianus, Cyprianus, alii. Sed quinquaginta hoc fatetur et septem insuper annos natus, quæ prona est ætas ad criminandam

[1] *Irrepsit subito canities seni Oblitum veteris me Saliæ consulis arguens.* (*Præf. universa.* 23.)

[2] *Art de vérifier les dates.*

suam ipsius adulescentiam, cum præsertim protervus adulescens pietate singulariter insignis homo factus est. E procellis tandem emersit, et forensi calliditate (ut videtur) conspicuus factus, evicit ut ad quemdam honorum gradum eveheretur :

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus Urbium :
Jus civile bonis reddidimus : terruimus reos ([1]).

Hic de duobus ambigi potest, primum quo tempore hunc honorem adeptus fuerit, deinde quis fuerit honos. Quod ad tempus pertinet, potest iter Prudentii Romam factum, de quo in Præfatione silet, in Peristephanon autem pluribus locis loquitur, aliquid nobis documenti suppeditare.

Italiam, dein Romam petenti sibi Noster Forum Cornelii ([2]) primam fuisse stationem memorat (*Perist.* IX, 1, 3). Qua in urbe magnam sibi de itinere spem fuisse dicit :

Hic mihi cum peterem, te, rerum maxima, Roma,
Spes oborta prosperum Christum fore.

Scilicet adierat ecclesiam, quæ nobili tabula descriptum Sancti Cassiani singulare martyrium tenebat. Votis martyrem abiturus aggreditur (*Perist.* IX, 101).

Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris;
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro,
Et post terga domum dubia sub sorte relictam
Et spem futuri forte nutantem boni.
Audior, Urbem adeo, dextris successibus utor :
Domum revertor, Cassianum prædico.

His verbis aliquid fit luminis. Prudentius non « *arcano labore* » angitur non « *dubia sub sorte relinquit post terga domum* », non ei « *spes de futuro nutat* » si jam jus bonis civile reddidit, reis terrorem injecit. Illud nimirum iter instituit, antequam legum moderamine potiretur, verisimiliter ut potiretur, et, hunc adeptus honorem, nutantem domum erigeret et stabiliret. Dextro enim, ut ait, successu vix usus, domum nulla mora revertitur.

Cui interpretationi ceterum iter non dissentire videtur. Romæ Prudentius martyris Hippolyti cryptam invisit, et ejus ossa, stratus humi veneratus (*Perist.* XI, 19, 177), vota facit. Voti compos lætus exclamat (178): « *opem merui,* » et (179, 180, 181, 182) : « *quod lætor reditu.... scribo quod hæc eadem Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus posse dedit, quod quis postulet, adnuere.* » Subobscura quidem verba, sed e quibus constat fuisse

([1]) *Præfatio universa,* 16.
([2]) Imola.

Prudentio Romam id iter cujus præsertim de reditu lætandum esset. Ex his omnibus conjicere licet honores a Prudentio occupatos itineri Romam facto successisse. Quo autem tempore iter Romam fecerit Prudentius nihil habeo unde sciam.

Quis vero et qualis fuerit honos, nonnullo fastu verborum expressus, quærere inanius fortasse arbitreris. Rem tamen, si fieri potest, dispiciamus. Non libenter credam prætorem fuisse Prudentium, aut provinciæ procuratorem, ad quorum officia pertinet « *jus civile bonis reddere, terrere reos.* » Semper enim videtur Prudentium paupertate laboravisse. Fatetur enim noster (Epilogus, 7) :

Nos citos iambicos
Sacramus et rotatiles trochæos,
Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes.

Quæ paupertas, tam ingenue prædicata, parum cum excelso magistratus gradu congruere videtur; leve quidem argumentum, quo confirmatur tamen Prudentium in obscuris alicujus civitatis honoribus versatum esse. Potius existimem nostrum, qui adolescens causidici personam egerat, urbium *defensorem* fuisse, quam provinciæ præsidem (1). A municipibus autem in quinquennium *defensor civitatis* eligebatur; præterea necesse erat ut defensoris electionem ratam haberet prætorii præfectus, quæ fortasse causa fuit cur Romam vel arcessitus fuerit Prudentius, vel sponte, muneris confirmandi gratia, adierit. Quæ tamen nobis adhuc tenebræ sunt.

Novam ecce adimus caliginem. Patet ex Prudentii ipsius dictis, ad altiorem honorem processisse, titulo saltem præstantiore fuisse ornatum. Hæc de hoc sunt ejus verba (Præf. univ., 19, 20, 21) :

Tandem militiæ gradu
Evectum pietas principis extulit
Adsumptum propius stare jubens *ordine proximo.*

Sunt qui hanc Prudentii *militiam* proprio sensu accipiant. Quorum primus Gennadius, ut jam supra vidimus, qui « ex Contra Symmachum librorum lectione agnovit », nescimus quo pacto, « *militem Palatinum fuisse* ». Libros autem Contra Symmachum accuratissime scrutanti, nullum documentum occurrit palatinum militem fuisse Prudentium. Quod ad militiam proprio sensu dictam, nunquam aut de Roma diutius culta, aut

(1) *Defensor Civitatis* (*plebis, loci,* prout urbs *defensa* notabilis) hoc a *curatore civitatis,* qui magistratus ante Valentinianum ppem exsistebat, differebat, quod non a principe sed a popularibus eligebatur. Cujus erat jus varium et multiplex, id tamen quod prætoris municipalis partibus merito æquiparare possis, cum præsertim, vivo Prudentio, recenter hic magistratus a Valentiniano (anno 364) creatus erat. (V. *Cod. Just.* Lib. I, IV; *Cod. Theod.* Lib. I, XXIX.)

de castrensi munere verbum Prudentius unum emisit. Post Gennadium alii (Aldus Manutius, Herm. Tulichius, Moreri), « *halucinati sunt,* ut Dressel verba usurpem, *poetam sub Honorio, principe egregie militavisse* ». Qui omnes verbo *militia* decepti sunt. Hac voce ex Plinio (*H. N.* X, 33, 49) apparet de munere quovis ampliore dici, non militari solum; quod confirmant Codex Theodosianus (II, 1, 34) ex quo liquet milites dictos esse qui in sacro Palatio in aliquo officio domus augustæ inserviebant; Ulpianus (Dig. 4, 6, 10) ex quo constat exactori annonæ militis datum esse nomen (¹). Hæc igitur militia nihil Prudentio fuit nisi nova quædam honoris accessio. Quæ fuerit autem non facile dijudices. Fuerunt qui Prudentium Consulem fuisse opinati sint, hoc siglum V. C. vulgo in codicibus (²) cum vetustis, tum recentioribus, Prudentii nomine additum, pro *Viro consulari* interpretantes. Hæ vero litteræ, sæpe, ut Dressel confirmat, nominibus scriptorum additæ, nihil aliud nisi *Vir clarissimus* significant. Ceterum liquet Prudentium non ad tergeminos honores elatum fuisse. Si enim fere pari gradu cum Symmacho congressus esset, non dixisset sane (*C. S.* I, 632) :

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum..................

nec (*C. S.* I, 643) :

Non vereor ne me nimium considere quisquam
Arguat ingeniique putet luctamen inire :
Sum memor ipse mei.......................

Ex quibus apparet, ut nobis videtur, Symmacho consuli Prudentium ex humiliore loco incurrere. Illa sub finem primi *C. S.* libri; hæc in secundi præfatione (44) :

Sic me, tuta silentia
Egressum, dubiis loquax
Infert lingua periclis;

et (51) :

Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius
Quam vitæ in tenebris ago,

(¹) Adde *Cod. Theod.* VIII, 4, ex quo loco patet *milites* fuisse nominatos quos gallice *fonctionnaires*, teutonice *Staatsbeamte* nominamus, fuisse *civiles milites* qui « *officiales, militia, cohors* » nuncupabantur, valde autem secernebantur a castrensi militia, quæ « *legionaria, armata* » vocabatur (Vide insuper Lactantium, *De Morte Pers.* 31 . « *officiorum omnium milites...* »)

(²) Imprimis *Alexandrino* Bibl. Vatic. 321 (vide Dressel, proleg. XLVI).

Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri,
. . . .
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis.

Hæc sane prope humilia verba de *nocte et tenebris vitæ* non consularis aut prætorii viri esse videntur. Verbum autem quo utitur supra Prudentius, quodque sententiam claudit *ordine* PROXIMO nos impellit ad opinandum Arevali instar, Prudentio honorem *proximatus* datum fuisse, qui nec amplus nimis, nec nimium humilis pro Prudentii meritis fuisse videtur.

Vita declinante, Prudentius Dei servitio, et operibus scribendis ad gloriam Dei studuit, de quibus postea dicemus, quod ultimis præfationis universæ versibus (36-43) significat.

Hactenus de vita Prudentii. Quod ad mortem pertinet, « *nihil*, ut dicit Adolfius Ebert (1), *aut scimus aut habemus unde sciamus.* » Quam tantum notabimus post annum 405 accidisse, cum Præfatio universa a Prudentio, anno 348 nato, scripta sit dum quinquagesimum et septimum annum suæ ætatis ageret, id est anno 405. Verisimiliter mors eadem ante annum 408 ponenda est, cum *C. S.* liber secundus laudes continet Stiliconis (v. 720 sq.) qui anno 408 proditionis pœnas dedit.

Vix in describenda Prudentii natura illam lasciviam petulantiamque attingere licet quæ juventutem, si ipsi credis, fœdaverunt. Hæc enim tanto candore confessus est ut illis ultro ignoscamus. Sunt autem alia quædam, scilicet animi ferventis impetus, asperitas, ferocia, tumor, quæ cum Hispano mores innatos denuntiant, tum scriptoris ingenium afficere et in pravum detorquere potuissent. Quæ, ut jam monuimus, ita significat Prudentius (Præf. universa, 13):

Exin jurgia turbidos
Armarunt animos et male pertinax
Vincendi studium subjacuit casibus asperis.

Contigit autem ut indoles Hispaniensis Christiani moribus temperaretur. Cum enim simplici suorum vitiorum confessione nos commoverit, tunc etiam, quod nescio an in poeta difficilius sit, sui ingenii mediocritatem ultro sæpius prædicat, utrumque, meo judicio, severius.

In Symmachi laudibus ea ad meram urbanitatem et legitimum obsequium referre possis. Hujus vero modi plura sunt apud Prudentium quam ut suspiceris in eo non exstitisse sinceram et genuinam verecundiam. Vide in secundo Peristephanon (574):

Audi poetam rusticum;

(1) *Geschichte der Christlich-Lateinischen Literatur von ihren Anfaengen...* p. 244.

in tertio (209) :

Texta feram pede dactylico
Vilia, marcida, festa tamen;

in decimo (2, 3, 4, 5) quum martyrem Romanum alloquitur:

Elinguis oris organum fautor move,
Largire comptum carmen infantissimo
Fac ut tuarum mira laudum concinam;
Nam scis et ipse posse mutos eloqui.

Quod etiam multo magis mirandum, in Hispano præsertim et in homine qui tanto in *Deos* impetu insævit, secernere callet Prudentius, vel cum inimicum lacessit, virtutes quæ civem commendant ab erroribus qui ad fidem pertinent. Julianum, ut exemplo utar, cum memorat, ut *Apostatam* culpat, sic virum eximium veneratur, magnum his temporibus atque in tali viro æquanimitatis exemplum: Audi poetam (*Apoth.* 449) :

Principibus tamen e cunctis non defuit unus,
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Religionis, amans trecentum millia Divum.
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus Urbi...

Itidem in primo *C. S.* libro, inexpiabili equidem priscam religionem odio lacessit, ejus vero defensorem studio quodam et admiratione non parva prosequitur. Quin immo quod recentiore sensu *tolerantiam* vocamus non longe abest ut tueatur doceatque (*C. S.* I, 616) :

Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
Munera sacricolis summos impertit honores
Dux bonus, et certare sinit cum laude suorum,
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet.......................

et infra, Symmachum ipsum compellans (*C. S.* 622):

Ipse magistratum sibi consulis, ipse tribunal
Contulit, auratumque togæ donavit amictum
Cujus religio tibi displicet, o pereuntum
Assertor Divum.......................

§ II. — *De A. Prudentii operibus.*

Uberrimus fuit Prudentius omnium christianorum poetarum. Scripsit enim undecim circiter millia versuum. Hæc sunt de quibus non ambigitur Prudentii opera quo ordine recentioribus in editionibus legentibus occurrunt: Cathemerinon *hymni duodecim;* Apotheosis; Hamartigenia; Psycho-

MACHIA; CONTRA SYMMACHUM *libri duo;* PERISTEPHANON *hymni quatuordecim.* De operibus de quibus contentio est postea dicemus.

Hic ordo probandus nobis videtur, ut qui a Prudentio ipso commendetur in Præfatione universa, nulloque documento obstante, servandus est. Sic enim « *de suis operibus* (ut aiunt vetusti codices) *incipit dicere* » Prudentius (Præf. universa, 36):

> Hymnis continuet dies [*anima mea*]
> Nec nox ulla vacet quin Dominum canat.

Scilicet Cathemerinon hymnos significat;

> Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem.

Quo versu non dubie et de *Hamartigenia* et de *Apotheosi* mentionem facit, quarum illa hæreticos « tributim » ut ait de Lucilio Horatius et nominatim lacessit, hæc catholicam quasi ex cathedra docet explicatque fidem, de trinitate disserit, de natura Dei. Si igitur nullo modo a ratione supra dicta desciscere vellemus, oporteret *Apotheosim Hamartigeniæ* succedere. Quod, fatemur, nobis placeret. Attamen animadvertendum est, primum codices quos nobis licuit legere omnes *Apotheosim* primum, post *Hamartigeniam,* deinde *Psychomachiam* oculis offerre; insuper et *Apotheosim* et *Hamartigeniam* de iisdem vere rebus esse. Ut enim de hæreticis *Hamartigenia* (scilicet de Marcionitis, Manichæis, aliis), ita et *Apotheosis* de Sabellii fautoribus, de Judæis, de iis qui unam in Deo personam esse perhibebant tractat. Unde non immerito colligas unum quasi poema ex *Apotheosi* et *Hamartigenia* constare; quo pacto si rem consideres, rectius tibi videbitur *Hamartigeniam* pro *Apotheoseos* complemento haberi, cum *Apotheosis* initium de universo genere fidei catholicæ agat (1). Denique, cum Prudentius ipse versu citato utrumque summatim poema significare possit, non satis causæ est cur codicum solitum ordinem conturbemus (2).

Succedit *Psychomachia* non dubie hoc versu (Præf. univ. 40) significata:

> Conculcet sacra gentium.

Paganorum enim numinibus bellum grave indicit Prudentius in *Psychomachia,* quæ nihil aliud est nisi Virtutum a Christianis cultarum pugna adversus Vitia dilecta a Gentibus, data Virtutibus victoria, conculcatisque Vitiis.

Nihil aliud quam *Contra Symmachum* libros significare potest versus universæ Præfationis 41:

> Labem, Roma, tuis inferat idolis.

(1) Cf. Bæhr : *Die Christlichen Dichter,* p. 79.
(2) Cf. Adolf. Ebert : *Geschichte der Christlich-Lateinischen Literatur,* p. 244 (notula).

Scilicet illi Victoriæ statuæ quam in Curia Senatus Romani restituere Symmachus nisus erat.

Denique hæc Peristephanon hymnorum mentio fit (v. 42):

> Carmen Martyribus devoveat...

Res minimi ponderis discutienda restat. Mentio hæc: « *Hymnis continuet dies* » quam supra retulimus, Cathemerinon hymnos haud dubie significat, hos vero tantum *Cathemerinon* qui ad singulas diei et noctis horas pertinent *(ad galli cantum, matutinus, ante cibum, post cibum, ad incensum lucernæ, ante sommum, horæ omnis)*, ita dispositi ut vere dies noctesque continua serie constringant, et merito poeta dicat:

> Hymnis continuet dies
> Nec nox ulla vacet quin Dominum canat.

Quid vero de aliis, qui non ad certas diei horas, sed ad certos pertinent anni dies *(jejunantium, post jejunium, epiphaniæ, VIII kalendas januarias)*, vel ad incertos *(ad exsequias defuncti)*. Suntne isti *Cathemerinon* hymnis annumerandi? Credo equidem, cum simillimi generis sint, nec dubito de omnibus locutum fuisse Prudentium versibus supra citatis. Codices ceterum quos recensui non alios ab aliis secernunt, hoc tamen animadvertendo quod undecimum et duodecimum *Cathemerinon* *(VIII kalendas januarias, Epiphaniæ)* longe ab aliis, scilicet post *Peristephanon* amovent, quam ob causam nescio ([1]), plerique.

Operum quæ Prudentio tributa sunt maximi ponderis et id quod Prudentii esse meritissimo dicatur est Dittochæon sive *Enchiridium*, sive *Diptychon*, sive *Tituli historiarum*, scilicet 49 tetrasticha antiquum et novum testamentum summatim attingentia ab Adamo ad Joannis Apocalypsim. An vere Prudentii sint infinite quæsitum est. Hùc et illùc pertinentia argumenta quam brevissime exponam.

Fatendum est Prudentium in præfatione nullam *Enchiridii* mentionem fecisse. Frustra contenderes his verbis ultimis sui, ut ita dicam, summarii: « *laudet apostolos* » (Præf. universa, 43) *Enchiridium* significari, in quo enim vix tria tetrasticha ad apostolos pertinent (45, 47, 49). Tibi autem palam est qua cura et subtilitate Prudentius sua opera in præfatione demonstret. Concedendum quoque jejunitate et exilitate admodum insolita hæc poemata parum commendari. Multum valent argumenta ista. Quid vero? Nonne potuit Prudentius sive, præfationem scribens, Enchiridium præterire, cum parvi faceret, sive Enchiridium post alia poemata cum præfatione pervulgata, scripsisse? Quod ad orationem attinet, cum dandum est manus Enchiridium impar aliis poematibus esse, tum prædicandum non indignum probabili scriptore hoc opus videri, ut quod

([1]) Sic *Collertinus* (*Bibl. nat.* 8085); alius (*ibid.* 8086); alius (*Nouvelles Acquisitions latines*, 241).

exsangui sermone et minus toroso, subtili autem, sincero et presso sit, nec non prosodia laudabili commendetur.

Sit *Enchiridium* Prudentio dignum : cur autem Prudentio tribuendum putant? Quod omni memoria tributum fuit. Antiquissimi codices illud habent (1): Gennadius mentionem illius, quinto seculo, in catalogo suo facit accuratissime, quasi vellet Prudentii ipsius incuriam pensare, in limine ipso (ut Dressel ait) sui summarii hoc opus commemorans. Incipit enim his verbis : « *Prudentius seculari litteratura eruditus composuit troceum de toto veteri et novo testamento...* » quibus succedit mentio *Apotheoseos* et ceterorum, ita ut, si opineris contemptus causâ Prudentium , in *præfatione, Enchiridium,* præterivisse, conjicere liceat *Enchiridium* a Prudentio adolescente scriptum fuisse.

Hæc opinio probabilis. Aliæ occurrunt, scilicet (ut credit Obbarius) huic Prudentium operi incubuisse « *ut Christiani historias ex Veteri ex Novo Testamento versibus descriptas haberent* »; et (ut Dressel cum Arevalo putat) « *tetrastichorum istorum quodvis picturæ in sacri loci parietibus subscriptum stetisse atque explicationi inservisse* » (2).

Ceterum non tantum ea opera æquales Prudentii Prudentio tribuerunt quæ in Præfatione significantur. Gennadius enim *Genesim* quamdam Prudentii novit de qua nullum Prudentius verbum in præfatione emisit : *Commentatus est,* ait *in morem Græcorum Hexæmeron de mundi fabrica usque ad conditionem primi hominis et prævaricationem ejus.* » Maxime incertum hoc opus, quod nec superest, nec a Prudentio, quamvis magni ponderis esse videatur, ullo modo significatur. Adde Gennadium, qui solus de hoc opere loquitur de Salviano Massiliensi persimilia dixisse iisdem fere verbis, scilicet « *et in morem Græcorum de principio Genesis usque ad conditionem hominis composuit versu, quasi hexæmeron librum unum.* » Ita ut glossematis cujusdam hic aut illic versantis suspicio sit (3).

Itidem Notker Balbulus poema *De laudibus Dei* solus Prudentio tribuit (4).

Insuper 122 hexametri vetustissimis codicibus inserti sunt (si fide dignus Bæhr (5); nam nec Dressel novit, nec ego) qui, sexto seculo, recentiori manu scripti sunt, adversus Paganorum stultitiam compositi, adversus et quemdam consulem Deorum fautorem. Prosodia mendosa, mendosus sermo fidem faciunt alius poetæ, æqualis, id esse opus.

Restat ut referam nonnullos, ex Gennadii verbis « *Fecit et in laudem martyrum sub aliquorum nominibus Invitatorium ad Martyrium librum*

(1) Non dico antiquissimum et maximi ponderis scilicet *Puteanum* (*Bibl. Nat.* 8084) qui nec ait nec negat, cum finis, in qua quæritur *Enchiridium*, desideratur, non *Enchiridio* tantum, sed plerisque *Peristephanon* deletis.

(2) Cf. de omni hac re : Ebert, *Christlichen Literatur,* 279; Bæhr, *Christlichen Dichter,* 83; Dressel, in editione Prudentii, Proleg. XIV, Editio 470.

(3) Vide Dressel, proleg. XV.

(4) Vide Dressel, proleg. XV, Fabricius, Bibl. med. et inf. lat., v. p. 922.

(5) *Christlichen Dichter*, p. 84.

unum», conjecisse Prudentium alius insuper carminis auctorem fuisse. Quod opus nihil aliud quam *Peristephanon* esse Dressel convicit ([1]), cujuscumque judicium, ut mihi videtur, satis cognoscit.

Quibus vero temporibus suorum quodque operum Prudentius composuerit minime liquet. Non satis est causæ, cur credamus Prudentium in suorum operum catalogo, præfationi universæ inserto, temporum ordinem servavisse. Verisimillimum contra videtur, hanc præfationem auctoris esse suorum operum editionem instruentis, et scripta sua secundum rerum ordinem dispertientis. Attamen, cum hoc in catalogo longe a *Cathemerinon Peristephanon* removeat, quos, si absolute rerum ordinem servasset, una cum Cathemerinon, ut lyrica, posuisset, tibi si non credendum est, credere saltem licet, hic Prudentium aliquatenus temporum meminisse, et *Cathemerinon* primum, *Peristephanon* ultimum, *aut fere ultimum,* Prudentii opus esse, quod, ceterum, nihil aliud probat nisi PLERASQUE *Cathemerinon* prioribus, PLERASQUE *Peristephanon* posterioribus Prudentii scriptis annumerandas.

Quod ad *Contra Symmachum* libros attinet pene certa tempora sunt. Primus *C. S.* ad Theodosiana tempora, secundus ad Honorii et Arcadii principatum haud dubie pertinet. Constat enim illam Victoriæ signi historiam, quæ librorum *C. S.* materies est, Constante, Magnentio, Constantio, Juliano, Joviano, Valentiniano primo, Gratiano, Valentiniano secundo, Theodosio, Honorio principibus, multis vicibus, duravisse ([2]). Quæ cum ita sint, arduum videtur *C. S.* librorum tempora cognoscere. Primus autem *C. S.* liber Theodosii laudibus exorditur, de quo notandum est Prudentium, in occidentali regione certe versatum, ut de Occidentis principe, immo de uno et singulari orbis principe loqui. Audi poetam ipsum (*C. S.* I, 10) :

Inclitus ergo parens patriæ moderator et orbis,
Nil egit prohibendo vagas ne pristinus error
Crederet esse Deum nigrante sub aere formas?

Hæc de Theodosio equidem videntur dicta, sed possunt ad mortuum Theodosium, fateor, pertinere, cum præteritum *egit* auctor usurpet. Sed sequentia legamus (*C. S.* I, 28) :

Ast hic imperium protendit latius ævo
Posteriore suis cupiens sancire salutem :
Nimirum pulcre quidam doctissimus : Esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.
Est ne ille e numero paucorum, qui diadema
Sortiti ætheria coluerunt dogma Sophiæ?

([1]) Proleg. xv.

([2]) Vide Ambros. adv. Symmachum in Grangæi commentario ad Prudentii libros C. S. p. 216; Augustinum, *Civitas Dei,* V, 26; Symmachi *Epistolas, epist.* LIV; aut, ne multa, Dressel, in Prudentii editione, 214 (notula).

Hic locus jam majorem lucem nobis suppeditat. Certe de Theodosio dicitur, ut cui soli tantæ laudes non inepte tribui possint. Quid autem? An de Theodosio vivo dicuntur? Dubium tempus *protendit* præbet, minus dubium, non certum tamen *est ne*. Instemus (*C. S.* I, 35) :

Contigit ecce hominum generi gentique togatæ
Dux sapiens : felix nostræ Res publica Romæ
Justitia regnante viget : parete magistro
Sceptra gubernanti : monet ut deterrimus error
Utque superstitio veterum procul absit avorum
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia summus
Emineat magnique immensa creaverit orbis.

Non jam, ut nihi videtur, tenebræ sunt; «*contigit ecce dux sapiens*»; «*felix Respublica viget*», «*parete magistro*», «*monet*», omnia hæc verba Theodosium non mortuum, non in Oriente longinquo gubernantem, sed præsentem significant. Constat autem Theodosium solum potitum esse universi orbis imperio, nisi post Eugenium et Maximum victos, id est anno 394, nunquam, anno vero sequente 395 fato functum. Neminem et fugit hoc 395 anno paganum cultum penitus ab illo oppressum esse, testibus Symmacho et S. Augustino. Nonne igitur liquet ad hunc unice annum pertinere primum *C. S.* librum, hoc anno 395 ab exsultante Prudentio quod «*superstitio avorum*» jaceret, scriptum fuisse?

Quid de secundo *C. S.* libro? Hic jam non de uno imperatore dicitur, non de sapiente ad Platonicum exemplar expresso, ne multa non de Theodosio. Fratrum vero mentio est, juvenum, patre inclitissimo, invicto. In quibus, cum multo magis patris nomine quam suo laudentur, et duo sint, et laudibus ipsi, nisi communibus et obsoletis, afficiantur nullis, et *C. S.* liber secundus primo successerit quod ex materie ipsa et exordii tenore palam est, non dubito Arcadium et Honorium agnoscere. Exempla recognosce (*C. S.* II, 7) :

Armorum dominos, vernantes flore juventæ
Inter castra patris genitos sub imagine avita
Eductos, exempla domi congesta tenentes...

et (*C. S.* II, 17) :

Hæc ubi legatus, reddunt placidissima fratrum
Ora ducum..................................

et (*C. S.* II, 655) :

O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti.......................

Præter documenta ista si nihil haberemus, liceret jam circiter tempus secundi *C. S.* libri cognoscere. Est autem ad tempora pertinens certius et circumscriptius documentum. Stilico in secundo *C. S.* versatur et apud

Pollentiam pugnæ mentio fit. Hos lege versus quibus et Stilico et Honorius significantur (*C. S.* II, 703) :

> Depulit hos nimbos [*geticum bellum*] equitum non pervigil anser,
> Proditor occulti tenebrosa nocte pericli :
> Sed vis cruda virum perfractaque congredientum
> Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
> Pro patria et pulcram per vulnera quærere mortem.
> Numquid et ille dies Jove contulit auspice tantum
> Virtutis pretium? *Dux agminis imperiique*
> *Christipotens nobis juvenis* fuit et *comes ejus*
> Atque *parens Stilico,* Deus unus Christus utrique.

Nulla jam caligo, nulla vel umbra tenebrarum : Stilico nominatim dicitur; princeps cujus Stilico et comes et parens est, nullus alius esse potest quam Honorius, Stiliconis gener, et cum Stilicone imperii consors. Adde quod de pugna Pollentina et nominatim dicitur (*C. S.* II, 717) :

> Corpora famosis olim ditata rapinis
> In cumulos congesta jacent : mirabere seris
> Posteritas seclis inhumata cadavera late,
> Quæ pollentinos texerunt ossibus agros.

Cum autem Pollentina pugna anno 403 sit, præfatio autem universa anno 405 scripta fuerit, necesse est *C. S.* secundum librum 404 vel 405 anno exaratum fuisse. Nonne nunc miraris potuisse Dressel dicere nihil de *C. S.* librorum temporibus certi esse, nisi quod ante annum 405 absoluti sunt, et eos oleum et operam perdidisse qui plura de iis quæsierunt? Quæ nos non perdidisse confidimus.

Ex iis enim quæ diximus hoc saltem consequitur, non minimi ponderis, quod secundus *C. S.* liber decimo circiter anno editus fuit post quam primus fuerat absolutus, et pro ultimo, vel fere ultimo, ante præfationem universam, Prudentii opere habendus est. Inde colligere possis plerosque *Peristephanon C. S.* secundo libro antecessisse, cum non sit verisimile 14 producta poemata, ex 4000 fere versibus constantia, intra duos vix annos, id est post annum 303, ante 405 perscripta fuisse. Cur autem Prudentius, remotâ omni dubitatione, *Peristephanon* (« *carmen martyribus devoveat* ») post *C. S.* (« *labem Roma, tuis inferat idolis* ») profert? Quia, ut mihi videtur, *Peristephanon* plerosque, ante equidem *C. S.* secundum, post vero *C. S.* primum scripserat. Quæ cum ita essent, voluit non duplicem *C. S.* librorum mentionem facere, sed de omni *C. S.* opere dicere cum primum *C. S.* opus occurreret, *Peristephanon* post omnem Symmachianam rem rejectis. Quæ ad confirmanda, nota, quæso, plures *Peristephanon* [1] ad Prudentii iter Romam factum pertinere, quod nullam video causam cur non post annum 403 factum sit, verisimilius tamen est,

[1] IX (de Cassiano), X (de Romano), XI (Hippolytus).

ut vidimus, a Prudentio adhuc juvene esse susceptum, officii petendi causa de quo ante omnia sua poemata dicit (Præf. 15 sq.). Adde has angustias : Si fingamus Prudentii *Peristephanon* omnes post annum 403 scriptos fuisse, vel hymnos ad iter pertinentes, iter ipsum post 403 annum peractum cum Præfatio universa anno 405 sit scripta, fingamus necesse est Prudentium intra duos annos iter Romam confecisse, *C. S.* libri secundi 1131 hexametros exarasse, Peristephanon 4000 versus superaddidisse, operum editionem instruxisse, præfationem universam scripsisse, quæ nimia est et formidolosa diligentia. Ex omnibus istis credamus Peristephanon plerosque, omnes forsan, post primum *C. S.* librum, ante secundum, id est post annum 394, ante annum 404, probabiliter locandos esse.

Quæ aliquatenus codicibus confirmantur. Vetustissimus enim idem et maximi ponderis, scilicet Puteanus (Bibl. Nat. Parisiensis 8084) in quo, quod lugendum, pars ultima desideratur, Prudentii poemata ex ordine hoc refert : *Cath.*, *Apoth.*, *Ham.*, *Psych.*, *Perist.* quinque. Videlicet eum qui hanc editionem paravit, sexto ineunte seculo, proxima adhuc Prudentii memoria, cognita verisimiliter principe editione, nota vita, litteratum ceterum hominem et eruditum, ut videtur (et infra videbimus), *Peristephanon* hymnos ante *C. S.* omnem posuisse, quum sciret partem Symmachianorum hymnis *Peristephanon* successisse, et Prudentium Symmachianæ rei ultimum incubuisse. Itidem Codex Vaticanus 3859 (decimi seculi) *C. S.* ad finem omnino profert; sic Vaticanus 5821 (decimi sec.); sic Colbertinus Parisiensis (Bibl. Nat. 8085, decimi seculi): sic Parisiensis (Bibl. Nat. 8086, decimi sec.); sic Parisiensis (Bibl. Nat. Nouvelles acquisitions latines 241, undecimi sec.), alii.

Ex istis omnibus colligitur duo tempora certa esse, primi scilicet *C. S.* (394), secundi (404), verisimile aliud, scilicet *Peristeph.* (post 394, ante 404), alia omni documento carentia, præter Præfationem universam.

Hic ordo igitur, spectanti Præfationem universam et quæ supra dixi, mihi placet, quod ad tempora attinet : *Cath.*, *Apoth.*, *Hamart.* (forsan *Hamart.*, *Apoth.*), *Psych.* *C. S.* primus, *Perist.*, *C. S.* secundus, *Dittochæon*, et alia incerta.

§ III. — *De Codicibus.*

Prima Prudentii operum editio ab ipso parata fuit. Quæ, sine ulla disputione, anno 405, ut compertum habuimus, instructa fuit, *Cath.*, *Apoth.*, *Ham.*, *Psych.*, *C. S.* duos libros, *Perist.*, nil plus ultra continens. Eam autem editionem an solam Prudentius ediderit nova quæstio est.

Sunt enim qui putent, non sine causa, non semel Prudentium opera sua edidisse ([1]), cum videant textus discrepantia non minimi ponderis, ut

([1]) Vide Obbarium, editionis proleg. p. XXVII.

plane vel tantum attingenti palam est in *Cath.* X, versu 9, *Ham.*, versu 69, *Cath.* IX, versu 58, *Cath.* X, versu 130, *Perist.* V, versu 99, *Psychom.* versibus 727, 728. Notat insuper Dressel (1) « *codices vetustos omnes instructos esse variis lectionibus et glossis aut interlinearibus aut ad marginem adpositis, recentioris utrisque fere carere..... Puteano mirandæ vetustatis exemplari non excepto.* » Errat aliquantulum Dressellius, confirmans his verbis, quod alias confitetur, a se *Puteanum* non evolutum fuisse. *Puteanus* enim raro glossis instructum sese præbet, quæ creberrime in codicibus decimi et undecimi seculi occurrunt. Vere dixit de recentioribus Dressel, ita ut persuasum possit haberi primum, sexto scilicet seculo, cujus *Puteanus* unicum documentum est, Prudentii textum parum nutare; deinde, decimo scilicet et undecimo seculo, instabiliorem esse, postea secundum vulgatam lectionem constitisse.

Quid inde apparet ad duplicem editionem ab ipso Prudentio factam pertinens? Fere nihil, fateor, cum *Puteanum* unum habeamus illorum temporum exemplar. Constat tamen has lectiones discrepantes inter se exstare, majores, productiores quam ut tantum e librariorum erroribus manent; constat locos grandes in *Puteano* omissos esse qui (2) alias occurrunt; necesse est has lectiones, hos locos alicunde oriri. Si autem Prudentius mortuus esset antequam suorum operum editionem instruxisset, diceres, nec immerito, editores, ejus manu scriptos libellos cum recognoscerent, variis istis lectionibus obvios fuisse quæ nunquam non in poetæ chartis certant. Cum vero Prudentius, omni procul dubio, suorum operum ipse editionem paraverit, *ne variarentur* libellos edidit; qui autem cum tamen variati sint, quid conjectandum nisi bis Prudentium edidisse? Felix conjectura et quæ nos lenocinetur, quod, si confirmari posset, incertorum operum rationem redderet (imprimis *Enchiridii*) quæ nullam habent in Præfatione universa mentionem. Credere placeret, Prudentium seniorem, postquam *Enchiridium*, alia fortasse poemata exaraverat, alteram operum editionem fecisse, in qua et nova opera occurrebant, et novæ veterum lectiones. Conjectare etiam liceret hanc alteram editionem non a Prudentio sed ab aliquo ex familiaribus, post mortem Prudentii, paratam fuisse, qui, Prudentii opera ultima recolligens, potuerit simul, manu scriptos libellos et scrinia poetæ cum recognosceret, novas ad lucem lectiones proferre. Sed hactenus quod ad ea attinet quæ tantum conjici, nullo modo confirmari possunt.

Quoquo modo res se habeat princeps et archetypa editio a Prudentio ipso data est anno 405, *Cathemerinon, Apotheosim, Hamartigeniam, Psychomachiam, Contra Symmachum* duos libros, *Peristephanon* continens.

Qui codices Prudentii exstiterint quinto seculo omnes fugit. Qui, sine dubio, non rari fuerunt, quippe Sidonius Apollinaris, Alcimus Avitus,

(1) Proleg. editionis p. XXIV, XXV.
(2) *Psych.* 40, 41, 42. — *Apoth.* 160, alii.

Gennadius non sine cura, sine veneratione et Prudentii mentionem faciunt, et per ora virorum illius opera volitavisse iis temporibus fidem faciunt. Antiquissimus autem, qui nobis traditus fuit codex, maximi, singularis, ut jam diximus, ponderis, ille est qui PUTEANUS vel PARISIENSIS dicitur, nostraque in Bibliotheca dicta *Nationali* numero 8084 notatur. Qui diu æqualis Prudentii ipsius habitus est (1). Nunc constat eum ineunte sexto seculo exaratum fuisse. Illud splendidum volumen, quo non immerito nostra Bibliotheca gloriatur, 155 habet folia membranea; uncialibus (id est *capitalibus* nostris simillimis) litteris exaratum est, quas jure Bæhr venustissimas esse prædicat. Continet *Cath.*, *Apotheosim*, *Ham.*, *Psych.*, *Peristephanon* I, II, III, IV, V; ceteri *Peristephanon* et *C. S.* omnis desiderantur. Tempore ipso quo exaratum fuit, quod satis ex litteris apparet, commendatur. Accedit hoc, animadversione maxime dignum quod ad finem *Cathemerinum* legitur nomen VETTIVS AGORIVS BASILIVS, eadem, ut videtur, manu qua cetera exarata sunt (2). Qui Vettius Agorius verisimiliter non est alius (3) quam Vettius ille Agorius Basilius Mavortius, anno 527 consul, qui Horatii Flacci opera recensuit. Apparet quanto pondere ille codex, tanti incremento curatoris, esse debeat. Minime ceterum mendosus est, præsertim in *Cathemerinon*, *Apotheosi*, *Hamartigenia*, *Psychomachia*. Incuriæ, potius festinationis vestigia aliqua reperias in *Peristephanon*. Libenter existimem hunc manu scriptum librum non a librario mercenario exaratum fuisse, sed ab ornato et litterato homine, cum animadvertendum sit locos plures cura magis sedula quam pro librario elaboratos fuisse. Exempli causa, vide : *Cath.* VIII, 42: *lappis* contra morem, sed metri causa; *Ap.* 15: *spernenda*, quod vocabulum Dressel *spernendo* scribit vitiose; *Ap.* 260: *Sensus*, non *gressus*; *Ap.* 413: *hejulat* quod magis probandum, etymologiæ causa, quam *ejulat;* Psych. 328: *inlex* (ut *inlicio*, *illicio*, *inlicium*, *illicium)* melius quam dresseliana lectio *ilex;* Psych. 714: *domus*, non *domo* quod nec sensui nec metro congruit; alia. Ex quibus videndum est sedulum et ornatissimum virum Dressel merito doluisse quod non potuerat oculis Puteanum codicem cognoscere. Sunt equidem maculæ, quarum aliæ ab emendatoribus proficiscuntur (*Cath.* X, 112: *ipse* in textu, *ipsa*, ignari lectio, in interlineari emendatione; alias), plures incuriæ tribuendæ sunt. Exempli causa vide: *homo* pro *humo* (*Cath.* III, 204), *solo* pro *salo* (*Cath.* V, 86), *flagro* semper pro *fragro* (*Cath.* V, 104, alias), *vacante* pro *vocante* (*Cath.* VI, 129), *funererat* pro *funerabat* ut scribit Dressel, potius pro *funerarat* (*Cath.* IX, 44), *delibata* pro *delibuta* (*Psych.* 312), *spem* pro *spe* (*Perist.* II, 134), *coles* pro *colis* (*Perist.* II, 263), *confœderantur* et *mansnescit*, pro *confœderentur* et *mansuescat*, cum versu sequenti bene *mansuescat*

(1) Vide Gabriel Peignot : *Essai de curiosités bibliographiques* (1804), vel Dressel qui ad verbum refert, Proleg. editionis, p. XXXVIII.

(2) Ut candide omnino dicam, legitur hactenus : « ...TIUS (?) AGORIUS .. SILIUS »

(3) Cf. Bæhr : *Christlichen Dichter*, p. 90.

scriptum fuerit (*Perist.* II, 437, 439, 440), *suerat* pro *sueverat* (*Perist.* II, 513), *in furiis* pro *in furias* (*Perist.* III, 96), *sole* pro *flore* (*Perist.* III, 109), *Iuliam* (?) pro *jugulos* (*Perist.* IV, 151), *trucentur* pro *trahetur* (*Perist.* IV, 177), *hostilia* pro *hastilia* (*Apoth.* 497), *districtum* (*A.* 528) pro *destructum*, *feræ* pro *fere* (*Ham.* 292), *sum umbra* pro *sub* umbra (*Psych.* 66), *informata* pro *formata* (*Psych.* 140), *nare* (?) *rebellis* pro *vena* rebellis (*Psych.* 142), *faustis* pro *frustis* (*Psych.* 424), *offendicula* pro *offensacula* (*Psych.* 484), *actu* pro *arcu* (*Psych.* 836), *frutectis* pro *frutetis* (*Ham.* 232). Hæ sunt fere omnes mendæ quas in codice *Puteano* reperias, raras sane, si memoria tibi occurrit codicum qui in manibus tuis fuerunt (¹).

Orthographia Puteani codicis singulare orthographiæ sexto seculo usurpatæ documentum est, quam ob causam libebit tibi fortasse hujus specimina quædam cognovisse: scribit Æ pro E: *sæptus* (*Ham.* 918), *cæspite* (*Psych.* 266), *tætro* (*Psych.* 901);

B pro P ante S et T: *prolabsum* (*Cath.* I, 58), *labsante* (C. II, 78), *labsibus* (*P.* IV, 190), *labsos* (*C.* II, 95), *inlabsis* (*C.* IV, 39), *inlabsa* (*C.* VII, 55), *labsus* (*Cath.* IX, 112), *scribta* (*P.* I, 1), *hydrobs* (*P.* II, 239), *conscribtum* (*P.* IV, 147), *scribtura* (*A.* 110), *scribtor* (*A.* 302);

C pro T: *dicionis* (*H.* 108), *dicionibus* (*Psych.* 221), *planiciem* (*Psych.* 261, 286, alias);

D pro T sæpissime: *adque* (*C.* III, 13, 147, X, 150; *Perist.* III, 11; *Ap.* 335), *ad* pro *at* (*Cath.* X, 29; *Ap.* 79, 427, 537), *adtamen* (*Cath.* XII, 15), *inquid* pro *inquit* (*P.* II, 57, 113; *Ham.* 640), *linquid* pro *linquit* (*Psych.* 438), *Adtonitus* (*P.* III, 173), *Davitica* pro *Davidica* (*H.* 787);

E pro I: *famis* (*C.* III, 58), *alemoniam* (*C.* V, 19), *enervans* (*C.* VIII, 64);

E pro Æ: *enigmata* (*C.* X. 136);

F pro PH, fere semper: *strofio* (*C.* III, 29), *sarcofago* (*C.* III, 203), *profeta* (*L.* IV, 59, IX, 26, XII, 85), *triumfus*, *triumfo* (*C.* X, 1, VII, 200, alias, sed *triumphos* *H.* 148), *lymfa*, *lymfatam*, *lymfaticum* (*C.* IX, 28, XI, 92), *Faraonis* (*C.* XII, 141), *chirografo* (*P.* I, 60), *scyfis* (*P.* II, 69), *strofas* (*P.* II, 318), *stefanus* (*P.* II, 371), *sycofantarum* (*A.* 25), *rhododafnen* (*H.* 224), *sofistæ* (*H.* 403), *orfan* (*H.* 779);

GN pro N (raro): *Gnatum* (*Ap.* 23);

H omissa: *A* pro *Ah* (*Cath.* III, 183), *Aleluia* (*C.* IV, 72), *ætra* (*Cath.* VI, 35, IX, 78), *umeros* (*Cath.* VIII, 38), *umor* (*C.* VIII, 63; *P.* IV, 132; *H.* 354, 753), *myrreus* (*C.* XII, 71), *Amalec* (*C.* XII, 171), *scyta* (*C.* XII, 203), *brucus* (recte, nam *græce* βροῦκος æque ac βροῦχος, *Ham.* 228), *yacintis* (*H.* 267), *olofernis* (*Ps.* 60), *stomacando* (*Psych.* 823), *sappirum* (*Psych.* 855), *Sardonicem* pro *Sardonychem* (*Psych.* 860), *ametystina* (ibid., ibid.);

H. addita, rarius: *Harenas* (*C.* XI, 67), *pulcher* (semper, vide *C.* XII, 31; *P.* II, 220, 291; *P.* IV, 21), *Bahal* (*A.* 325), *Harundo* (*Ps.* 323);

(¹) Sunt quædam codici Puteano additæ notulæ seu interlineares seu marginales, *præsertim quod ad Cathemerinon attinet.*

I pro E: *Stilligeram* (*C.* V, 145), *vatis* (*C.* IX, 25), *imbicilli* (*Cath.* XII, 207), *dispicis* (*Per.* II, 265), *mercis* (*Per.* V, 3), *prolis* (*A.* 139), *liquiscant* (*A.* 1015), *jacis* pro *jaces* (*Psych.* 87), *pinnis* pro *pennis* (*Psych.* 305), *erimi* (*Psych.* 371);

P. pro PH: *sulpur* (*C.* V, 136) (quod haud raro in manuscriptis occurrit);

S pro R: *Odos* (*C.* XII, 70) (prisco more);

T pro C ante I: *indutiarum* (*P.* II, 126); *contio* (*Ps.* 746);

T pro D: *haut* pro *haud* (*P.* II, 568) (unde fortasse conjectare licet, si D pro T tam crebrum memineris, hunc codicem non ex alio transcriptum, sed voce dictatum fuisse;

U pro O crebro: *immulator* (*Cath.* XII, 48), *rutunda* (*A.* 210), *robure* (*Ps.* 222);

Y pro I: *hyrtæ* (*C.* VIII, 35), *Symeonem* (*A.* 1011); pro U: *Thylæ*, (*H.* 881);

Litteras sæpius geminat. Scribit LL pro L: *Medella* (*Cat.* X, 83, IX, 35; *P.* I, 580; *A.* 693), *loquella* (*A.* 34, *A.* 325, *A.* 579), *querella* (*Cath.* X, 117); *suadellis* (*H.* 715);

LL pro DL: *Alluit* (*P.* I, 117);

MM pro NM: *Comminus* (*P.* II, 531), *Committe* (*P.* II, 221);

LL pro NL: *Collegia* (*C.* X, 36; *Collige* (*A.* 857);

RR pro NR: *Corruptus* (*H.* 36 prefat.), *Corrupta* (*P.* II, 154, 290);

PP pro P: *Marsuppio* (*P.* II, 104);

Contra N pro NN: *conubii* (*Cath.* III, 75), *anulus* (*P.* I, 85);

DT pro TT; *adtrita* (*P.* I, 72);

BF pro FF: *subfodit* (*H.* 826).

Hactenus de *Puteano*, de quo satis superque fortasse diximus, tam accurate, saltem, ut neminem fugiat quanti ponderis hic, non solum mirandæ antiquitatis codex, sed miranda sedulitate exaratus, esse debeat. Quem vellemus sane totum ad litteratorum utilitatem transcripsisse. Hoc, saltem, aliquid utilitatis præbebit quod, post hujus voluminis clausulam, *omnes locos illius codicis accurate transcripsimus qui aliquo modo a Dressel editione differunt, ita ut is qui et Dressel editionem et hunc nostrum libellum habebit*, PUTEANUM, *etsi absentem, sit occupaturus* [1].

Alii quos versare nobis licuit codices sequuntur.

COLBERTINUS (Bibliotheca Nationalis Parisiensis, 8085), membraneus, decimo seculo exaratus, omnia fere Prudentii opera continens, scilicet *Cathemerinon* I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX X; *Peristephanon* I, V, IV, VIII, VI, VII, XI, IX, XIII, XII, XIV, II, III, X; *Cathemerinon* XI, XII; *Hymnum de Trinitate* qui nihil aliud est nisi *Apotheosis* præfatio; *Apotheo-*

[1] Solo a Nic. Heinsio, inter omnes editores Prudentio, *Puteanus* vere recensitus esse mihi videtur. Bæhr versavit, non, credo, recensuit.

sim, *Hamartigeniam, Psychomachiam, Contra Symmachum* I, *Contra Symmachum* II ad versum 1006. Non parum mendosus, si eum cum Puteano conferas. Licet apud eum legere *servius* (pro *secius*) (*C. S.* II, 792) vel *sætius* (*Ham.* 925), *fuant* (pro *cluant*) (*C. S.* I, 504) cum *cluat* bene scribat *C. S.* II, 584, alia sexcenta. Non raro textus, librarii culpa, desperatus factus, testatur librarium minime a semetipso intellecta scripsisse (exempli causa vide *A.* 1000: « *stirpe recenset annumerandus...* »). Utilis tamen, cum fere omnia opera Prudentii contineat, commodus et habilis, cum non prave tornatas litteras præbeat (minusculas). Constat ex 82 foliis.

Parisiensis (Bibliotheca Nationalis, 8086), membraneus, decimo seculo exaratus, minusculis litteris, ex 110 foliis constans, continet *Cathemerinon* I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, *Peristephanon* quatuordecim *Cathemerinon* XI, XII, *Hymnum de Trinitate* (præf. *Apoth.*), *Apotheosim, Hamartigeniam* a versu 1 ad versum 542, *Psychomachiam* a versu 812 tantum ad finem. *Contra Symmachum* I, *Contra Symmachum* II, *Dittochæon* sine titulo (sed quodque tetrastichum propriam rubricam habet). Superiori (8085), præferendus. *Puteanum* videtur librarius sequi. Quod non dico patet, sed succurrit, cum locos de quibus quæstiones pendent utroque in codice confers; non simili tamen omnino orthographia cum, ut exemplo utar, *inbicillus* Puteanus, *imbecillus* Parisiensis 8086 scribat, *setius* Puteanus, *secius* hic, etc. Sæpissime emendationes occurrunt, non stolidæ, ut *fuant* (*C. S.* I, 504) ex quo emendator fecit *fiant*, meliori sensu, sed renuente metro, *sectius* (*C. S.* II, 792) ex quo emendator *secius* fecit, aliæ.

Parisiensis (Bibliotheca Nationalis *Nouvelles acquisitions latines* 241, *vente Didot*) (1), membraneus vitulinus, venusta specie, minusculis litteris, ex 221 foliis constans, ut mihi videtur decimo vel undecimo seculo exaratus, ornatus, vel oneratus permultis notulis sive interlinearibus, sive in marginibus adpositis. Continet *Cathemerinon* I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, *Peristephanon* I, V, II, XI, XIII, XII, IV, XIV, III, VI, VII, IX, VIII, X, *Cathetemerinon* XI, XII, *Apotheosim*, *Psychomachiam, Hamartigeniam, Contra Symmachum* I, *Contra Symmachum* II, *Epilogum* sub hac rubrica « *Incipit de opusculis suis,* » denique *Dittochæon* hoc titulo : « Κηρωχηνη » (*sic*). Hic codex, si non maximi ponderis est, ut qui non inter antiquissimos versetur, tamen cura mihi dignissimus videtur, Prudentiique editoribus commendandus, cum et omnes et editores et criticos, nisi fallor, prætererierit, et minime mendosus appareat. Præstat enim, quod ad illud attinet, non solum Oxoniensi, Bongarsiano, et illi Alexandrino quem Dressel tanta prosequitur veneratione, sed et ipsi fere Puteano, cui ceterum simillimum se præbet. Nullum repperi in eo locum, vel cum errare videtur, ex quo librarii imperitia palam fiat; quod ad incuriam attinet nullus non codex mendas præbet, hic vere raras. Non sine pretio notulæ,

(1) Sic in Catalogo signatus anno 1881.

emendationes e docta manu et sollerti. Vide, exempli causâ, *C. S.* I, 504: *fuant* quod in Parisiensi 8086 correctum *fiant* videmus. Hic *fiant* scripserat; postea emendator *cluant* substituit, addita notula : « *polleant* ». Sic *Hamartig.* 902, scripserat *viriscere.* Post emendationem ita apparet vocabulum : *viviscere,* æque ac in Puteano.

Celerius attigimus, in quibus nihil novum aut vere animadvertendum occurrit, codices qui sequuntur : *Membraneus Colbertinus* (*Bibl. Nat.* 8087, seculo x); *Membraneus Colbertinus* (*Bibl. Nat.* 8088) cum glossis et scoliis (seculo x); *Membraneus Colbertinus* (*Bibl. Nat.* 8305) cum glossis inter lineas (seculo x).

Ceterorum codicum, quos nos tædet, pœnitebit forsan, non hac manu versavisse, quorum tamen lectiones accurate per diversas recentium editorum notulas recognovimus, quosque oportet lectorem novisse, præcipui sunt qui sequuntur.

Mentio facienda est codicis quem Fabricius se vidisse testatur sine loco et anno formæ 4, quem maximæ antiquitatis esse credit, in quo opera omnia, non excepto *Dittochæo*, Prudentii legebantur hoc ordine : *Ditt., Apoth., Psych., Ham., Per., Cath., C. S.* Omnes, puto, fugit quis fuerit hic de quo dicit Fabricius codex.

Oxoniensis, a Pulmano recensitus, xi seculi [1], Prudentii opera omnia continens. « Leofricus episcopus ecclesiæ S. Petri apostoli in Oxonia, ut Pulmani verbis utar, sub annum millesimum sexagesimum aut septuagesimum » e sua bibliotheca Prudentii hunc codicem extractum ut egregium munus suæ ecclesiæ largiebatur, et hac imprecatione consecrabat : « *Si quis autem illum inde abstulerit, perpetuæ maledictioni subjaceat. Fiat.* » Fateor me fere nihil de hoc codice tenere quem nec ego vidi, nec Obbarius, nec Arevalus, nec Dressel attigerunt. Raræ lectiones hujus codicis quæ passim in editorum notulis mihi occurrerunt satis probandæ visæ sunt. Indignor tamen quod causa fuit Oxoniensis cur Weitzius in editione sua *prosapiem* verbum Prudentio tribuerit (*P.* X, 180) adversantibus ceteris codicibus.

Bongarsianus, a Baehr laudatus [2], a Weitzio ad editionem suam (1613) recensitus [2]. Weitzius eum dicit a Bongarsio, doctissimo viro, acceptum a se fuisse. Continet omnia opera cum magnis lacunis (*Cath.* XI a versu 100 ad finem; *Perist.* a versu 1 ad versum 539; *Psych.* a versu 283 usque ad 531, a versu 641 ad finem; *C. S.* II a versu 714 ad 1062). « Singulare hoc habet atque eximium codex, ait Weitzius, qui figuris illustrata sit Psychomachia, quo lumine et emblemate tessellato alii codices, quos videre contigit sunt destituti. » Ego autem in Bibliotheca Nationali Parisiensi vidi codicem Prudentii unum (Colbertinum 8085) ita illustratum, quod ad Psychomachiam attinet, eo modo et tam luxuriose ut non

(1) Vide Dressel, proleg. editionis, p. xxxviii.
(2) Baehr : *Die Christlichen Dichter*, p. 91.

insertæ textui picturæ, sed rari versus inter imagines ægre nantes viderentur. Bongarsianus inter optimos Prudentii codices numeratur. Quantum æstimare potui non multum a Puteano differt [1].

Weissemburgensis, a Baehr probatus, quo usus est N. Heinsius, quem recognovit ad editionem suam Theodorius Obbarius, seculi noni.

Guelferbitani duo quibus nititur omnis fere textus Obbarianæ editionis. Guelferbitanus I seculi noni est. De illo ita dicit Obbarius : « ... *In Germania quidem exaratus ut ex glossis his teutonicis quæ in primis foliis leguntur apparet : protervitas frazarheit, culmine friste.... Insunt in hoc libro manu scripto carmina Prudentii omnia, sed Hamartigenia, Psychomachia et adversus Symmachum Liber I mutilus.* » Guelferbitanus II undecimi vel duodecimi seculi, ab Heinsio versatus quondam, continet omnia opera, *Cathemerinon* exceptis a versu 1 ad *Cath.* V, 94. Scholiæ multæ insunt.

Ambrosianus (noni seculi) aliquot tantum *Cathemerinon* et *Peristephanon* hymnos continens. A Nic. Heinsio tantum, ut mihi videtur, versatus, ab eodem laudatus.

Thuanaeus (octavi, si Dressel conjecturam sequaris, seculi), ille qui Hildegarii cujusdam episcopi nomen præfert Meldensis, a N. Heinsio versatus, probatus.

Palatinus Weitzii. Ita vulgo nuncupatur ille palatinus codex cujus Weitzius se a Becmano participem factum fuisse declarat in suæ editionis præfatione. Cujus ætatis sit nullum documentum habeo. Carmina omnia continet.

Ratisbonensis a Marieto seculo xvii recensitus, atque ita æstimatus : « Codex monasterii S. Emeranii omnium optimus quos viderim, et plane bonus, nisi imprudentissimus quidam multa sua substituisset prioribus ita erasis, ut nullum omnino priscæ lectionis supersit vestigium, quod nos suis locis notavimus, quare non puto posse adhuc Prudentium exacte corrigi et pristino nitori restitui, nisi alium nanciscamur veterem codicem præter eos quibus usi sumus, ex quo, quæ hic abrasa sunt, restitui possint.... [2]. » Carmina omnia continet. Cujus ætatis sit nihil me monet.

Vaticani triginta et unus quos tanta cura et quasi pietate Dressel recensuit. Quorum præcipui sunt qui sequuntur, quibus posthac *Dressellianis codicibus* nomen possit dari.

Alexandrinus 321 seculi x, carmina omnia continet, maxime a Dressel probatus, nimium, vereor, æstimatus. Maxima quam in hunc codicem servat veneratione impulsus, eum sæpius quasi vestigiis pressis sequitur, nonnunquam ultra modum (vide *C.* VIII, 64, *inervans* quem ponit Dressel obstantibus fere omnibus codicibus, fere uno *Alexandrino* adnuente, pro *enervans;* sic *A.* 560 *excellit* pro *excellet*). Vide apud Dressel effusam hujus

[1] *Bongarsianus* nono seculo, si Sinnero (vide Dressel, Proleg. editionis, p. xxxv) creditur, exaratus est.

[2] Hæc notula ab Ant. Marieto in codice Ratisbon. post librum II *C. S.*, p. 286 inscripta a Dressel lecta fuit Romæ (Vide Dressel, Proleg. editionis, p. xlii).

manu scripti libelli, non dedignandi sane, descriptionem, ordinem operum, orthographiam, cetera.

VATICANUS 3859 seculo X exaratus, quondam vaticanus, prima *Gallica Republica Parisiensis* (Bibl. Nat.) factus, nunc rursus *Vaticanus*, ab Arevalo recensitus, non satis accurate, ut Dressel incusat, ut ceterum liquet, a Dressel solita cura recognitus, non parvi, ut mihi videtur, ponderis. Dicas, si orthographiam omnino cum codice *Alexandrino* 321 congruentem animadvertas, *Vatic.* 3859, *Alexandrini* 321 exemplar fuisse, novis notulis et scholiis additis. Dolemus hoc Italorum codicum Prudentii exemplar eximium e Bibliotheca nostra egressum. — Continet *Cath.*, *Perist.*, *Ap.*, *Ham.*, *Symm.*, *Ditt.* — Ab. Ant. Marieto, seculo XVII, recensitus erat.

ALEXANDRINUS 1439 (seculi XII), continet *Psychomachiam;* ab Heinsio recensitus, cujus in possessione erat.

VATICANUS 3860 (seculi X), continet *Cath.*, *Perist.*, *Apoth.*, *Ditt.* magnis, elegantibus litteris, scholiis multis. Ab Antonio Marieto, seculo XVII, recensitus.

VATICANUS 5821 (seculi X), continet *Perist.*, *Cathemerinon* XI et XII, *Ditt.*, *Apoth.*, *Ham.*, *Psych.*, *C. S.* — A Marieto, seculo XVI, recensitus, ut apparet ex notula a Dressel lecta Romæ secundo folio codicis : « *Johannes Antoninus Marietus, societatis Jesu presbyter. Hunc librum cum Pragæ degerem accepi dono a Christophoro Colero, viro doctissimo : cumque illum cum aliquot mss. variis in locis diligentissime contulerim, et nominatim cum celeberrimo vetustissimoque illo quod Ratisbonæ in S. Emerani bibliotheca asservatur; et optimæ notæ, et ante multos annos ab exercitatissimo antiquario conscriptum esse censeo. MDCXVIII.* »

ALEXANDRINUS 74 (seculi XIII), continens *Cath.*, *Perist.* ab Arevalo recognitus. « *Scribendi ratio, ait Dressel, antiqua et correcta est sibique satis constans. Optimas quasque lect. var. præbet.* »

URBINUS 666 (seculi XV), continet *Cath.*, *Perist.*, *Ditt.*, *Apoth.*, *Ham.*, *C. S.* Quem Dressel putat ex antiquissimo exemplo eodemque optimo esse descriptum.

VATICANUS ALEXANDRINUS 2078 (seculi IX), *Psychomachiam* continet. *Vaticani* manu scripti libelli præcipui ab. J. Teolio ad editionem suam (MDCCLXXXVIII Parmæ) recensiti fuerunt, si Dressel confidimus, minima adhibita cura.

Ad summam quatuor sunt Prudentianorum codicum classes, TEUTONICORUM (Bongarsianus, Weissemburgensis, Ratisbonensis, Guelferbitani, alii); BRITANNICORUM (Oxoniensem solum novi; adde illum quem Aldus « ab usque Britannis accitum » a se declarat, cujus de fato nihil habeo, at verisimile est illum nunc Italicum factum esse); ITALICORUM (Vaticani, Mantuani); GALLICORUM (Puteanus, princeps Prudentianorum codicum, Colbertini, alii; adde, si Baehr (1) credendum est, sed habeo unde

(1) *Die Christlichen Dichter*, pagina 91.

dubitem, alios Montis Pessulani). E quibus Teutonici recogniti sunt a Sichardo (codex Argentorato accitus, alii), Pulmanno (codices Gandavenses, Antuerpiani, alii), Weitzio (Bongarsianus, Egmondanus, alii), Marieto (Ratisbonensis, Viennensis), Arevalo (iidem secundum Marietum), Obbario (Guelferbitani, Weissemburgensis, alii); Britannici ab Aldo (incertus unus), Pulmanno (Oxoniensis); Italici a Weitzio (Palatinus Weitzii), Marieto (Vaticani 3859, 3860, 5821), Arevalo (Bononiensis, Marieti codices recogniti), Dressellio (Vaticani triginta et unus, Mantuani duo); Gallici, vereor, fere a nullo. Non video enim, nec conjectare possum Chamillard codices parisienses versavisse manu; quod autem ad germanos editores, doctissimi illi homines, ut supra patet, Teutonicos codices penitus scrutati, vel Italicos sedulo rimati, Parisienses dedignati sunt. Non dubito quin Dressel religiosæ fidei et venerandæ diligentiæ homo, etsi *Puteanum* minoris pretii et antiquitatis quam jus sit habere nitatur [1], in animo habuerit parisienses codices recensere. Morbus obstitit, ita ut nihil potuerit nisi Heinsio fidere, qui solus solum *Puteanum*, nec non, ut mihi videtur, cursim versavit [2]. Post Dressellianam editionem, tam laudabilem ceterum, lacuna igitur superest, quam solus explebit qui, Heinsii opere recognito, amplificato, per parisiensium codicum collationem, Prudentium omnino restitutum dabit. Quam reparare, pro virili parte, rimam nisus sum, præcipuos codices parisienses legendo, Puteani imprimis *omnia quæ a Dressel editione abhorrent (vide ad hujus voluminis finem) transcribendo.*

§ IV. — *De editionibus.*

Omnes editiones ex ordine temporum recognitas apud Dressel habebis. Hic præcipuas refero.

« Prudentii poetæ opera » Aldus Venetiis edidit, secundum britannicum quemdam codicem anno 1501. Quæ editio exemplar fuit aliarum (Calari 1574, partim Coloniæ 1701).

« Aurelii Prudentii Clementis viri consularis libellos » edidit Antonius Nebrissensis in civitate Lucronii anno 1512. Quæ editio aliarum (1612 sine loco, 1603 Wittebergæ) exemplar fuit.

« Aurelii Prudentii Clementis viri consularis... » opera omnia edidit Joannes Sicardus. Basileæ 1527, secundum diversos codices, quorum unum Argentoratanum. Quæ editio exemplar fuit aliarum (1536 Antuerpiæ, 1540 ibidem, 1542 Basileæ, 1553 Lugduni, 1562 Basileæ).

« Aurelii Prudentii Clementis v. c. opera a Victore Giselino correcta... » 1562. Quæ editio exemplar fuit aliarum (Basilæ 1564, Antuerpiæ 1564

(1) Proleg. editionis, p. xxxviii, notula 28.

(2) Baehr vidit, non recensuit, laudat merito (*Die Christlichen Dichter*, p. 90).

cum Pulmanni adnotationibus, Parisiis 1566, Coloniæ 1588, Coloniæ 1594, aliarum).

« Aurelii Prudentii Clementis v. c. opera... » edidit Weitzius, secundum diversos, quos supra retulimus, codices, Hannoviæ 1613. Quæ editio aliarum exemplar fuit (Lunæburgi 1648, aliarum).

« Aurelii Prudentii Clementis quæ exstant » edidit Nicolaus Heinsius, Amstelodami apud Danielem Elzevirium 1667, secundum codices diversissimos, silicet Puteanum, Thunaeum, Oxoniensem, Ambrosianum, Rottendorphianum, Guelferbitanum II, alios. Quæ editio, maxime laudabilis, aliarum exemplar fuit (Coloniæ 1701, Magdeburgicæ 1703, Coloniæ 1750, Bodonii 1788).

« Aurelii Prudentii Clementis opera... » edidit ad usum Delphini Stephanus Chamillard, Parisiis 1687, secundum Heinsium plerumque. Quæ editio exemplar fuit editionis britannicæ unius (Londini 1824).

« M. Aurelii Clementis Prudentii v. c. carmina... » edidit Arevalus, Romæ 1788, ipse codices Vaticanos recognoscens, sed præsertim in usum suum vertens permultas et optimas Antonii Marieti varias lectiones ex Vaticanis, Ratisbonensi, Viennensi excerptas.

« Aurelii Prudentii Clementis carmina... » edidit Theodorus Obbarius, Tubingæ 1845, secundum codices Guelferbitanos, Weissemburgensem, Gothanum, alios. Maxime laudabilis editio, qua sæpissime, nec immerito, Dressel usus est ad suam comparandam, qua nulla ditior, diligentior, accuratior.

« Aurelii Prudentii Clementis quæ exstant carmina... » edidit Albertus Dressel, Lipsiæ 1860, omnibus Vaticanis codicibus et fere omnibus italicis sedulo recognitis, optimarum editionum variis lectionibus et adnotationibus accurate accitis, collatis, illustratis. Quæ editio mire nobis auxilio fuit, omnibus quibus cum Prudentio res erit omnino necessaria.

Dressel editionem perpetuo secuti sumus, omniaque Prudentii quæ commemoramus ad hujus textum editionis pertinent, suntque, si recognoscere velis, referenda.

CAPUT SECUNDUM

Aurelii Prudentii Clementis opera non lyrica summatim recognita.

De A. Prudentii carminibus non lyricis primum summatim disseremus, cum ad lyrica præcipue spectet noster hic libellus. Deinde effusius lyricam partem tractabimus.

§ I. — *De Apotheosi.*

Tibi licet Prudentium considerare sive fidei doctoris, sive oratoris, sive lyrici partes agentem. Quod ad doctrinam attinet, scilicet in *Apotheosi* et *Hamartigenia,* non dubito dicere fere nihil novi, genuini Prudentium penes fuisse. Omnis a prioribus doctoribus pendet, Tertulliano imprimis, nec scientia nec ingenio supereminet, hoc tantum excellens quod latina musa utitur longe priorum musæ præstanti. Hanc vocem *Apotheosim* primus, ut opinor, inter latinos scriptores e græcis scriptoribus Tertullianus (Apol. 34) transtulit, de romanorum imperatorum apotheosi locutus. Ad novum sensum verbum transfert Prudentius, hac voce quasi veræ fidei triumphum significans. Opus præceptivum est simul et concertatorium. Post duas præfationes ubi duplex hoc disserendi genus, quasi e consilio nuntiatur, cum prior sit breve summarium doctrinæ de natura Dei, altera nihil aliud quam vehemens adversus hæreticos philippica, poeta de natura Dei patris disserere incipit. Requirit primum utrum passibilis visibilisque sit Deus, necne. De utroque non diu incertus manet :

.... Ardua nam vis
Est impassibilis ....
Nec capit humanis angoribus excruciari. (84, 86)

Terrestres oculos quoque Deus effugit,

.... et deitatis
Immensum adsumpto non temperat ore modoque, (14)

hac tamen exceptione admissa :

> Visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons
> Visibilis; cerni potis est qui nascitur, at non
> Innatus cerni potis est; latet os Patris illud
> Unde Deus .... (78)

Natus est igitur filius, qui nobis fontem invisibilem aliquatenus patefaceret. Cujus majestas

> Protulit imperium patrio ructata profundo. (93)

Existere autem Dei filium hoc argumento confirmat, quod eum in trium hebræorum fornace viderit Nabuchodonosor, et de hoc miraculo in immensum excursum exspatiatur. Hic licet animadvertere quasi « psychomachiam » aliquam quæ non semel in Prudentii animo concertatur. Cum et fidem docere ardeat, et, ingenio poetico instinctus, ad splendida lubens rapiatur, sæpius angustias doctrinæ audacter ingressus, si purpureus pannus haud procul fulget, huc relabitur, diutius æquo moraturus.

Tandem (v. 155) ad materiem propriam regressus, in Sabellium et Sabellianos convertitur, eos scilicet qui unam duntaxat in Deo esse personam contendebant.

Postea, non sine audacia, extricare nititur qui fieri possit ut filius sit ortus qui sit comperpetuus. Cum autem sit Deus

> Non convertibilis, nec demutabilis unquam... (276)

Filius

> Totus et ex toto Deus est, de lumine lumen. (278)

Mundum creanti Deo comes aderat filius; hominem enim pater ad imaginem Dei fecit. Hic autem Deus erat filius. Innumera sunt alia quæ filium esse Deum prædicent et testentur. Hunc declarat Dæmonum legio in porcos immissa; hunc ille juvenis Christianus, qui, cum sacris, in templo quodam, Juliano principe, adstaret, unus subita formidine cuncta permiscuit, ipsosque sacerdotes exturbavit; hunc

> .... florens de fertilitate pudica
> Jam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater. (574)

Accedunt Deum probaturi Jesum et Magi et Orientis stellæ, et tot tantaque Evangelii miracula.

Sic per totum Evangelium, non sine impetu discurrit, et miracula miraculis cumulans, quod sibi demonstrandum proposuerat evincit.

Quibus absolutis, animæ naturam introspicit et excutit, primum

requirens utrum passibilis sit anima : quæ quidem verba minime inter se pugnant. Non enim dicendum est Dei partem animam esse, quæ, cum certo tempore creetur, non æterna est, nedum divina, sed tantum imago Dei, provida, justi capax, perpetua. Ea, e corpore velut spiramen emissum, flatum quem organon effert simulat. Cum corpore conjuncta, peccatis obstringi potest, postquam

Suavibus illecebris nimium blandita refrixit. (906)

Quamvis enim animæ non generent animas, contagione tamen corporis pollutæ sua vice fiunt « *incentiva peccaminis* ».

Sub finem Manichæos aggreditur, qui Christum existimabant meram umbram volitare sub imagine formæ, Matthæumque adversus « *latrantes* » Christi inimicos advocat. Denique, vehementi pietatis impetu, diem vocat cum totus ad Deum surrecturus sit et volaturus ad æternam sedem (1062-1068).

Si summam *Apotheosis* respexeris confitendum tibi erit, exceptis subobscuris partibus, poetæ sinceritatem, pietatem, imaginum artem, impetum valde probanda, fere admiranda esse, si vel paululum animadverteris quantæ fuerit difficultatis tale opus, totum in abstrusarum rerum descriptione versatum.

§ II. — *De Hamartigenia.*

Deum esse unum, ex initio poematis comprobantem Prudentium, et in Marcionem invehentem cum animadvertis, suspicio occurrit nihil aliud esse *Hamartigeniam* nisi *Apotheosis* supplementum. Quemadmodum adversus Marcionitas, Sabellianos, Judæos in *Apotheosi* irascitur, ita Marcionitas petit, sed singulariter *Manichæos* in *Hamartigenia*. Qui vero cum hoc præcipue niterentur, ad duplicem Divinitatis, hinc bonæ illinc malæ, naturam fingendam, quod non possit peccatum ab Impeccabili proficisci, mendas a mundissimo fonte manere, poeta noster materie suæ inductus est ad veram peccati originem et quasi genituram inquirendam, unde *Hamartigeniæ* nomen operi datum.

Hoc opus, quod ab eruditissimo et litteratissimo Bayle optimum ex operibus Prudentii prædicatum est, eximias vere partes continet, quod ad disponendi artem minus laudandum. Neminem ceterum, fugit Prudentium fere semper hac industria caruisse quæ « ponere totum » calleat.

Præfatio omnis ad hunc ordinem sententiarum pertinet quem græco nomine συμβολικὸν nuncupamus. Hanc figurarum artem jam in Ambrosianis hymnis palam esse notavimus. Prudentius illuc creberrime spectavisse magis ac magis tibi patebit. In hac videlicet præfatione Caïni et Abelis fabulam præceptivum in dogma convertit, æternum carnis, id est Caïni, et animæ, id est Abelis, duellum commemorans. Hinc mali labes, hinc insuper Manichæorum error, qui, cum fratrum inimicorum conten-

tionem in his terris animadvertant, toto in orbe et in cœlis quoque hanc pugnam versari hallucinantur, duplicemque Dei naturam sibi esse fingunt.

Unde tamen fit ut, cum unus, et bonus ille, existat Deus, tanta rerum confusione et malorum colluvie permisceatur orbis? Scilicet angelus rebellis, velut serpenti veneno omnia corrupta pessumdedit. Statim terra, benigna prius et florida, marcescere, carduis et dumis rigescere, omnis perturbari rerum concordia. Hic omne Prudentii poeticum ingenium, materie digna occurrente, exspatiatur et exsultat. Hæc est pars *Hamartigeniæ* non solum, sed omnium Prudentianorum fortasse splendidissima, non sine vehementi, describendis in vitiis, cum jam oriuntur, adhibito impetu, stimulis, flagello, Juvenalis instar (201-374).

Diabolus, domitor gentium « *quanta victos ditione triumphat!* » (408): Hebræos primum. Quorsum evadunt tot et tanta miracula, quæ Deus edidit ut a servitute illa illos vindicaret? Hac occasione declamandi reperta, quam sæpius poeta noster aucupari videtur, ratem solvit, immissisque habenis, exspatiatur in immensum.

Multiplex enim tentationis forma. Sunt per aera vagantes qui nobis insidientur dæmones et sese nostris animis insinuent. Nostrum vero malorum vel acerrimus auctor cuique suus animus est. Hic Absalonem adversus patrem armavit. Pulchra nostrum et vivida imago. Nam « *gignimus omne malum proprio de pectore ;* » « *nostra pectora natos parturiunt*

..................versis qui protinus in nos
Morsibus insuescunt gignentum vivere pœnis. (570, 571)

Attamen, si tantum a peccato Deus abhorret, cur illud patitur esse? — Quo modo lubens pateretur Deus existere malum, qui, vel post peccatum, hominem servare nititur? — Quis autem invito Deo peccare valeat? — Respondet Prudentius philosophicam disserendi viam et rationem ingressus vere laudabilem. Scilicet nos libertate Deus donavit, qua nostris in factis vis inesset promerendi. Notabilis hic locus. Non sane sine admiratione aliqua noster Lamartine audiisset unum ex suis locis maxime conspicuis Prudentii versibus persimilem esse. (*Ham.* 674-683 — Lamart., *Premières Médit. poét.* VIII : *La Providence à l'homme.*)

Hoc pacto serpens fallacibus verbis irretitam mulierem persuasit. Ita Loth ejusque uxor pari libertatis præmio muniti, sed virtute non pariter utentes, alter in alterum exitum cessere. Prout libertate quisque fuerit usus, eum æterna manet vel gloria, vel æternum opprobrium. Quo vero magis intelligas quot et quanta sit amplexura vis animi, sensibus exutis, somniantem in Apocalypsi sanctum Joannem tibi fingas.

Ultimi versus Hamartigeniæ (931-966), cum quædam, ut perhibent, contineant maxime pio homine indigna, ut Dresselianis verbis utar, quidam a Prudentio abjudicaverunt, hoc insuper imputantes quod, si de Purgatorio credatur in hoc loco rem esse, hæc doctrina demum a Gregorio

Magno in Catholica ecclesia confirmata fuerit. Non nostrum tantas lites componere, nec affectemus novam posse lucem in istis tenebris edere. Quod nobis tantum probabile videtur dicemus, scilicet hos versus vetustissimis in codicibus versari; nihil omnino pio homine indignum nobis penitus introspicientibus in hoc loco apparere; contra non pio solum sed humili Christiano digna, et omnino Prudentii indoli congruentia occurrere (934, 936, 938, 942, 943, 953, 954, 966); purgatorium vere, nobis judicibus, in his versibus significari, cujus doctrina jam vulgaris Prudentio vivente (Aug. *Civit. Dei*, XXI, 24, 2), a Prudentio ipso videtur, etsi dubie, significata (*P.* VI, 99); purgatorium expresse nobis videri significatum versibus (958 sq.) quos referimus :

At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidæ nec flamma gehennæ
Devoret hanc animam mersam fornacibus *imis*.
Esto : cavernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis averno;
.... *me pœna levis clementer adurat.*

omnino, ceterum, prudentiani moris esse opus aliquid prece, ut ita dicam, « pro domo sua » consummare (vide *P.* III, 573, *P.* VI, 160, *P.* IX, 101, *P.* X, 1136, *P.* XIV, 124, imprimis *Apoth.* 1080 cujus ita finis fini *Psychomachiæ* respondet); denique nil quod ad sermonem aut metrum attineat a prudentiana consuetudine abhorrere, contra aliqua optime huic poetæ convenire, simul sacræ scripturæ et optimorum ex profanis poetis memori (940 sq. 952 sq.) (1).

Hæc est *Hamartigenia*, fere indigestum opus, sed partibus splendidis inter Prudentii poemata excellens, in quo saltem ad recondita maxime spatia philosophiæ et maxime sublimes aditus, non sine audacia, non sine felicitate, provectus sit.

§ III. — *De Psychomachia.*

« Paulo minora canamus » exclamare videtur poeta; et, omissa subtiliore controversia, heroicum quoddam aggreditur opus. Ne credas tamen eum a poesis genere concertorio desciscere. « *Jurgia* adhuc *turbidos armant animos* » et « *pertinax vincendi studium* » poetam exacuit. Scilicet, perpetua allegoria, sibi fingit virtutes et vitia, sumptis armis se invicem audacibus et contumeliosis verbis lacessere, et heroum more conserere manus.

Allegorico poemati allegoria præfationis loco est. Scilicet historiam Abrahami Prudentius συμβολικῶς narrat. Ille enim nos docuit, cum filium

(1) Vide et cf. Dressel, notulam, p. 167. — Baehr : *Die Christlichen Dichter*, p. 79. — Ebert, *Christlich-Lateinischen Lit.*, p. 263.

mactare pararet, cuique nostrum Deo jubenti « *quod dulce cordi, quod pium, quod unicum offerendum esse* » (V. 6, 7); cum pugnaret adversus populos Deo invisos, nobis « *suasit non ante prolem gignere, Deo placentem, matre Virtute editam, quam strage multa bellicosus spiritus portenta cordis vicerit;* » cum ab angelis visitur ternis, Trinitatis exemplum præbet « *parvam pudici cordis casam* » ingressæ; cum uxorem « *victam et exsanguem* » stupet prolem edere, nos docet quo pacto Jesus « *animam, pie maritam, prolis diu expertem faciat perenni fertilem de semine* »; quin immo, « *trecenti bis novenis additis* » servi « *mysticam secundum figuram* » intelligendi sunt, quam non explicat Prudentius, quæ autem, si Dressel fidis [1], nihil aliud nisi crucem ipsam Servatoris significat.

Legentis ingenio satis superque hoc proœmio ad figuras et similitudines parato *incipit,* ut veteres aiunt codices, *Virtutum et Vitiorum contentio.* Hæc est primum singularium præliorum series, deinde acies et concursus. Ecce prima concurrit Fides cum Veterum cultura Deorum. Victrix mox *Fides* hostis

> ... ora cruore
> De pecudum satiata solo applicat, et pede calcat
> Elisos in morte oculos .... (*Ps.* 31.)

Jam in festis adstant armis virgo Pudicitia et Sodomita Libido. Quarum illa postquam immensa prius oratione Libidinem obruit, eam in Tartara præcipitem immittit. Aliæ subeunt, Patientia scilicet et Ira, quæ postquam frustra debacchata est, suo se ipsa gladio confodit. Tum mortuam acerrimis verbis increpans, tumido ore delitigat Patientia, nec satis, forsan, patienter medios in hostes irruit, « *egregio comitante viro* », Job scilicet.

Allegoria constanti nimirum et ingeniosa, vividisque coloribus expressa, ecce Superbia Mentem humilem invadit, quam Spes comitatur. Conviciis primum et prolixis, ut solet, inimicam *Superbia* provocat, deinde calcaribus fodit equum, sed præceps in scrobem a Fraude paratam incidit.

Occurrit Luxuries, eleganter et scite descripta, cui debemus quasi festivum medio in poemate embolium. Hæc, pro armis telisque, nihil nisi flores versat, hastiliaque sua, rosas et violas, jaculatur.

Jam terga dabant Virtutes, sed « *ingemuit tam triste nefas fortissima virtus* Sobrietas ». Quæ primum immodica desævit oratione, deinde, cum telo careat, saxo caput *Luxuriæ* illidit. Tum cum sua vitiorum caterva [2] certamen init Avaritia, qua in describenda vim excogitandi singularem vivosque colores Prudentius exserit. Contra bellatricem quæ tot et tantis sociis bella gerit, Ratio stat. Diu pagna nutat. Jam inclinatam suorum phalangem *Avaritia* animadvertens se devinci posse miratur quæ

(1) P. 171.

(2) *Cura, fames, metus, anxietas, perjuria, pallor, Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes, Eumenides variæ monstri comitatus aguntur; Nec minus interea, rabidorum more luporum, Crimina persultant toto grassantia campo, Matris avaritiæ nigro de lacte creata* (466).

tantos ex tot hostibus triumphos retulerit : omnes inde quos subjecit fusius enumerat, et a Jericho sua facta repetens, ad Judam usque longo tramite decurrit. Dein, ut, sinon armis, dolo saltem « palmam » arripiat, novam speciem et fallacem induit : fit virtus quam memorant FRUGI. Hujus personæ mendacio plurimos illudit et stragem strage cumulat, cum virtutibus auxiliatura succurrit OPERATIO. Quo nomine Prudentius significat opera caritatis beneficiorumque largitionem. *Operatio* autem *Avaritiæ* fauces elidit et suam victoriam verbis extollit.

Victrices phalanges in castra jam reducebat CONCORDIA, cum latens eam inopinantem vulnere lædit DISCORDIA, quam arripiens æmula virtus, linguam ferro transverberat.

Tum tribunal mediis in castris erigitur, in quo FIDES et CONCORDIA considunt, ut inde longe lateque vigiles circumspiciant. Oratione prior in immensum effunditur *Concordia* et omnes ut pacem componant suadet. In Photinum, in Arrium invehit multa, lupos scilicet qui sub ovium vellere latitant. Ipsa quidem vulnerata est, quo magis Discordiæ pericula manifesta fierent. *Fides* alloquio *Concordiam* confirmat. Duce et auspice *Fide* nihil *Concordiæ* timendum contendit. Templum ædificandum monet. Cui cum omnes operi sese accingant, et permixtim congerantur æs, argentum, aurum, margaritæ, gemmæ, smaragdi, brevi magnificentius quam pulcrius monumentum erigitur, in quo tandem Sapientia sedens universo terrarum orbi dominatur.

Psychomachia est poema varium, distinctum, fere semper sine tædio. Videtur in hoc opere Prudentius, postquam philosophiæ reconditas partes penitus introspicere nisus erat, feliciter, sed non sine labore conatus, sese pio et docto joco remisisse. Suis enim vitiis, ignoscendis equidem, vel speciosis, omnibus indulget, cum et in effusas festivasque descriptiones exspatietur, et argutas, curiosas imagines aucupetur, et effusis præludit orationibus, quas postea, magis et magis, patulas nec non declamatorias colet fovebitque. Quin, ne sales quidem arcet, a quibus, materiei causa, solet in operibus abhorrere, quibus tamen videtur paululum indulsisse (1). Primum exemplum *Psychomachia* est in occidentalibus partibus illius poesis συμβολικῆς qui tanto postea in honore fuit, ut hæc sit Prudentii laus quod non solum præcipuus inter lyricos christianos, eximius inter dogmaticos, sed auctor fere fuerit allegorici carminis, cujus rara tantum et brevia vestigia apud Ambrosium apparent. Inde celebritas oritur qua *Psychomachia* media ætate fruita est. Diximus jam qua cura, quam peculiari mediæ ætatis librarii *Psychomachiam* coluerint, duosque codices memoravimus, quorum alterum Weitzius versavit, alter tibi licet versare Parisiis in Bibliotheca dicta Nationali (2) in quibus figuris multis et multi-

(1) *Psych.* 497. De avaritia disserens : « *Quin ipsos temptare manu, si credere dignum est, Ausa sacerdotes Domini, qui prælia forte Ductores primam ante aciem pro laude gerebant.* »

(2) Codex Colbertinus 8085.

modis *Psychomachia* illustrata est. Adde quod *Psychomachia* iisdem temporibus vel cælo sculptorum, vel pictorum penicillo expressa, monasteriorum et ecclesiarum parietibus adfixa piorum oculos mentesque sæpius occupavit (1). Nihil est aliud hoc poema quam quædam « *Introduction à la vie dévote* », hilaris et remissa, pii joci in speciem versa, quæ, cum nostra ætate forsan ad leniter ridendum interdum impellat, quondam contra, eamdem ob causam, habebat unde pia, simplicia, candida ingenia et docerentur simul, et, remisso omni periculo, secura delectarentur.

§ IV. — *De* Contra Symmachum *utroque libro.*

Accedimus ad Prudentii opus gravissimum, maximi ponderis, quo sui temporis discriminibus sese, contra morem suum, immiscuit, quod ad plane explicandum historico commentario opus esset ultra hujus voluminis terminos et circumscriptam materiem procedente, quod nobis in animo est tantum efficere ut summatim amplectaris, specie universa dotibusque præcipuis quibus nitet significatis.

Primus *Contra Symmachum,* si recte conjectaverimus (2), principe Theodosio, anno 394 scriptus est, alter 404 vel 405, principe Honorio, scilicet alter cum jacerent obruti et silentes, Theodosii rigore oppressi, priscorum numinum fautores, alter cum Christiani, gratia equidem principis poterentur, non sine metu tamen viderent qua celebritate, auctoritate, decore Symmachus frueretur, Senatu romano favente, principe indulgentiori. Inde fit ut primus declamatorium opus sit, suetis Christianorum conviciis, ut victoribus mos est, effuse et jactanter congestis; alter pressior et adstrictor, subtiliter et acriter disputet, argumenta quærat, componat, colligat, quasi forensi eloquentia, cum auctor præsentem adversarium, nec jacentem, sed stantem minimeque conturbatum sentiat. Quæ cum ita sint, non dicere opus est secundum *C. S.* longe priori præstare. Jam notavimus Prudentium multo plus æquo declamatorio generi indulgere, nec unquam occasionem vitavisse effusæ et amplissimæ orationis edendæ. Ita in *Psychomachia* erravisse nostrum animadvertebamus cum *Pudicitiam* tam facunde victricem (53-97) inducit, *Sobrietatem* parum in loquendo temperantem (350-406), *Concordiam* ex cathedra *sermonem* evangelicum diluentem. Nihil autem aliud est Primus *C. S.* nisi Concordiæ cujusdam aut Sobrietatis adversus Gentes sermo. Postquam poetas meritas Theodosio laudes et grates solvit exordiens, superos inferosque Deos aggreditur. Nonne præstat Christianorum Deus illi Saturno, qui, mutatus in equum, Tuscis virginibus adhinniebat, Jovi qui tauri speciem induebat, Europam rapuit, Ganymedem ad stuprum abduxit? Hoc pacto poeta acerrime discerpit, sordibus inficit, salibus amaris dispergit Mercurium, Priapum, Herculem et Hylam, Bacchum, Mænadas. Deumne Solem pre-

(1) V. Baehr, *Die Christlichen Dichter* p. 80, notula 12.
(2) Vide nostrum de hac re excursum supra, caput primum, § II.

caberis, qui, ne mortalis quidem more, liberis motibus utitur, et, velit nolit, definito curriculo captus inclususque convertitur? Derisis deinde Tartari numinibus, et umbris infernis, Constantinum inducit, qui Romam ad fidem veram adducere prolixa oratione nititur. Primarios Urbis viros, plurimosque patricios laudibus extollit, qui fide et nomine christiano superbiunt.

Et dubitamus adhuc, Romam, tibi, Christe, dicatam
In leges transisse tuas, omnique volentem
Cum populo et summis cum civibus ardua magni
Jam super astra poli terrenum extendere regnum? (587)

Hæc est conclusio. Epilogus, ut ita dicam, additur, de Theodosio, qui, dux bonus, « *pro meritis terrestribus æqua rependens munera, summos vel sacricolis honores impertit,* » teste ipso Symmacho « *cui consulis magistratum et tribunal contulit* » (vers. 615... 622...); de Symmacho, tanto viro, tam splendido oratore « *si mallet laudare Deum* » (v. 636...).

Sunt loci in Primo *C. S.* elegantes, ampli, ornati; non sine tædio tamen opus universum legitur, nimia scriptoris ad communia dicenda proclivitate, sæpius in trita vulgarique via versantis.

Longe præstat *C. S.* Secundus Liber, in quo, post humiliorem forsan præfationem, elegantissimam tamen et lepidam, cum poeta sese fateatur « *dubiis periculis inferri* », Petri instar per maria, jubente Christo, vadentis, singula quæ Symmachus edidit ad suam confirmandam causam argumenta refellere nititur. Exorditur Arcadii et Honorii laudibus, qui Victoriæ restituendam in Curiam Aram negaverunt. Nec immerito. Quis enim, exclamat poeta, credat esse Victoriæ deam illam crine pexo virginem, pede nudo suspensam, zona constrictam, tumidumque pectus fluitanti veste prementem? Vincendi auctor Deus omnipotens (1)? Deum ipsum inducit poeta qui veram universarum rerum rationem, quo pacto stet perpetuoque reparetur orbis, vivida et sublimi oratione explicet. At enim, nonne decet moribus antiquis majorumque vestigiis fideliter insistere? O ridiculam relligionem!

Orbe novo nulli subigebant arva coloni:
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?
.... redeamus ad antra
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus. (282... 289...)

Adde Romam hoc præcipue viguisse quod nova semper instituta, novos mores induerit, et « *scita patrum populique frequenter sententia flexa novarit.* » Ita primum regio more, post consulari, deinde principum sub tutamine floruit. Dicat aliquis: unus genius fuit, quo duce et auspice

(1) C'est ce Dieu des chrétiens qu'il faut qu'on remercie
Des victoires qu'il donne à l'empereur Décie.

(Corneille, *Polyeucte*, III, 2.)

Roma ad tantum culmen provecta est. Cur vero « *genium mihi Romæ fingitis unum?* »

> Romam dico viros quos mentem credimus Urbis,
> Non genium, cujus frustra simulatur imago. (443)

Objicit Symmachus a Romanis Deos colentibus res prospere gestas fuisse. A suis igitur numinibus se proditos fuisse ceteri merito populi queruntur. Num vero ipsa Roma semper vicit suis ipsi Dii faventibus? Cur ii apud Cannas totque infames Romanorum cladibus campos eam obteri passi sunt? Symmachi ipsius instar, qui lugentem supplicemque Romam effinxerat, ita Prudentius in scenam quasi promit Romam, mæsto non ore dejectam, sed sibi gratulantem quod alterum Camillum nacta, scilicet a Stilicone reparata, in pristinam juventutem rediit.

Ad alteram rei partem conversus, Prudentius hæc argumenta aggreditur quibus Symmachus, Vestalium factus patronus, asseruerat sterilitate frugum Deos sæviisse, ut pœnas a Virginum spoliatoribus repeterent. Quid vero? Hæc annonæ penuria, non, id temporis, primum civibus urbes agrosque exhausit. Sunt ipsius pestis causæ a natura ortæ, quas diligenter poeta, nec sine doctrina, explicat. Denique, si Vestalium in spoliatores Dii animadvertere voluissent, quare sacricolarum agris parcens, solis christianorum campis calamitas non incumbit? Quam ut vitandam agricolæ curent, excerptis ex Evangelio præceptis ad rura pertinentibus, Christo pareant qui dixit:

> Semina cum sulcis committitis, arva cavete
> Dura lapillorum macie, ne decidat illic
> Quod seritur ....
> Neve in spinosos incurrant semina vepres... (1025... 1029...)

Quibus absolutis, ad majora provectus poeta Vestalibus, nimia fama celebratis, Christianæ Virginitatis modestius et nobilius confert exemplar. Ista enim Vestæ sacerdos:

> Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
> Pilento residens molli, seque ore retecto
> Imputat attonitæ virgo spectabilis urbi. (1088)

Quin ludis circensibus adest, et, converso pollice, semianimum gladiatorem confici jubet.

Hac Vestalium insectatione ad suum Prudentius ingenium regredi videtur, id est ad impetum quemdam acrem, vehementiamque mordacem, quæ, quod ad Circenses attinet, et Augustinum et Senecam in memoriam inducit. Attamen e nullo nisi Christiano ore hoc verbum excidere poterat, quo nullum humanius, immo divinius apud omnes antiquitatis poetas reperias:

> Nullus in orbe cadat, cujus sit pœna voluptas (1125)

Hoc fere versu *Contra Symmachum* liber secundus consummatur insueta sublimitate, dignum, ceterum, opus cui tam gravis, tam grandis clausula imponeretur. Nullum habemus Prudentii librum in quo tantum ingenii sui exemplum ediderit. Non tantum concertatorius, quamvis et acer sit et vehemens et mordax, hic libellus est, sed vere oratorius, in quo grandes sententias magnifico interdum sermone protulerit. Splendido dicendi genere crebro utitur (v. *C. S.* II, 61...).

Majestate Dei, naturæ amplitudine dignum se præbet his versibus, quibus locutum Deum omnipotentem, omniparentem fingit (195...).

Splendidi simul et lepidi sermonis exempla edit, Deum cum de templis disserentem fingit:

Templum mentis amo, non marmoris... (249...)

Sæpe relatus est a criticis locus de laudibus Stiliconis, amplus equidem et magnificus, quem autem et ego memorare vellem ut Prudentius manifestum faciam quam vel in ποιήσει ψιλῇ lyricus fuerit et simul quanta varietate polleat ille *C. S.* Secundus, qui Deum, bella, duces, virtutes, veteris Romæ annales, novæ prosperam fortunam et infortunia vicissim, integra tamen et speciosa dispositione, celebret (v. 721...).

Non immerito Baehr hoc poema et *concertatorium* et *præceptivum* et *epicum* dixit (1). Liceat adjici et *oratorium* et *lyricum*. Nusquam tam varias ingenii dotes præstitit Prudentius, nusquam poetæ nomine dignior, ita ut hoc opere optime de religione, de patria, de litteris latinis meritus sit.

§ V. — *De Dittochæo* (2).

Nihil de Dittochæo dicam nisi, cum ex 49 tetrastichis constet, 24 tetrasticha ad testamentum vetus, 25 ad novum pertinere. Unum tantum referam, ut ab uno omnia discere possis. Inscribitur de quo mentionem facio « *Passio Joannis* » (Baptistæ):

Præmia saltatrix poscit funebria virgo
Joannis caput, abscissum quod lance reportet
Incestæ ad gremium matris; fert regia donum
Psaltria respersis manibus de sanguine justi. (*Tetrastich.* 24)

Arevali et Dressel opinionem commemoro (vide supra Cap. primum § II) « *tetrastichorum istorum quodvis picturæ in sacri loci parietibus subscriptum stetisse atque explicationi inservisse* » in quam conjecturam lubens eo pedibus.

(1) *Die Christlichen Dichter*, p. 81.

(2) διττός ὀχή, duplex refectio, veteris scilicet et novi testamenti, quod verbum insolitum magno codicum scriptoribus impedimento fuit.

CAPUT TERTIUM

De Prudentio poeta lyrico — De Cathemerinon.

---

§. I — *Quam ob causam lyricis Prudentii præcipue immoremur.*

Si legentem non omnino fugit proœmium nostrum, jam novit cur lyrica Prudentii præcipuam hujus voluminis materiem habeamus. Inopinatam hanc et forsan invidiosam opinionem non possumus non emittere Prudentium fere solum fuisse in litteris latinis lyricum poetam. Satis enim constat sive Catullum sive Flaccum, Græcorum imitatores, exemplaribus equidem non impares, imitatores tamen fuisse. Post hos lyricæ poesis materies sive omnino deficit, sive ad aliam partem conversa est. Relligio non tantum valuit ut materiem lyricis poetis suppeditaret; amores libentius poetæ latini elegiaco metro cecinerunt; indignatio poetas fecit, non lyricos. Quid supererat nisi pusillæ res et minoris ponderis quæ nullam nisi unius et alterius strophæ materiem suppeditare possent? Christianis, ut jam diximus, datum erat lyricam poesim languentem et frigescentem reparare, ut qui magnis, vehementibus, vere vividis motibus animi impellerentur. At plerique, rudes sane, vel acriore in pugna versati quam ut umbratili vita, sine qua lyrica poesis vix existere potest, fruerentur, lyrica carmina, ut vidimus, nullo modo nisi in transitu, id est non satis curiose, edere tentaverunt. Prudentium fere solum, qui nec episcopus nec presbyter fuit, nec magistratu summo præditus, decebat quietam, utpote mitiore tempestate, senectutem ad nobilia illa et pia studia convertere. Decet autem nos, hoc exemplari oculis nostris proposito, quid valuerit, nullo fere auxilio adjuvante, romanorum lyrica camena, qua vi, qua copia, quo pondere fuerit, examinare.

§ II. — *Qui Prudentio imitandi fuerint, quos imitatus sit.*

Cursim jam quæ fuerit ante Prudentium Christianorum quæ dicitur ὑμνολογία diximus, nec legentem fugiunt Hilarii Pictaviensis, Damasi

summi pontificis, Ambrosii Mediolanensis imprimis nomina. Diximus quo pacto hymni ad Christianorum conventus, sive convivia, sive vigilias ex orientalibus partibus petiti, sensim ad occidentem manaverint, ita ut Prudentio vivente, præsertim senescente, nulla videatur in Occidenti ecclesia esse quæ non vel Hilarii, vel Ambrosii, vel Augustini hymnis continuo personet, vel ad Hilariensium, vel ad Ambrosianorum exemplar compositis. Hæc fuerunt Prudentii documenta, in medio posita, hæc audiit, didicit, combibit, postremo est imitatus. Videbis enim, cum propius ad singulos hymnos accesserimus, materiem, ut exemplo utar, *Cathemerinon,* plerumque ab Ambrosio Mediolanensi Prudentium mutuatum esse; hymnum Prudentianum *ad galli cantum* non hymnum Ambrosianum solum de eadem re, sed insuper hymnum Hilarii (sive sub nomine Hilarii his temporibus vulgatum), *matutinus* qui nuncupatur, sic exordientem : « *Lucis largitor* » in memoriam legentis revocare; immo *Peristephanon* universam sententiam, fere sine dubio, ab inscriptionibus, epigrammatibus, epitaphiis Damasi, pontificis maximi, profectam esse; cum videamus, exempli causa, nihil esse aliud *Peristephanon* hymnum VIII nisi baptisterii cujusdam epigramma, simul martyrum qui eo loco passi erant epitaphium.

Fons alius additur, ex quo lyrica Prudentiana manaverunt, scilicet sive *Acta martyrum*, sive ejusdem modi historiæ quæ his temporibus frequentibus ecclesiis vulgo legebantur. Exemplum si desideratur, conferam anonymi cujusdam Christiani valde antiquam de Vincentio narrationem, cum quinto *Peristephanon*. Paucos, præcipuos tamen, locos excerpo. Cum Datianus, provinciæ præses, Vincentium magis et magis torqueri jubet, ita loquitur anonymus : « Exsanguis et ipse Datianus, pectore trementi, » torvis et minacibus oculis, exclamat : rimetur acrior intima ungula » costarum, et dolor intima penetrans gemitum reddere faciat, non » contemptum. Tum denuo subridens Vincentius : « Tu Deorum testis, » tuque mortuorum fias mortuus pontifex. Ego uni et vivo sacrifico Deo » qui est benedictus in sæcula. » —Sic Prudentius explicat : Datianus dicit :

« Vinctum retortis brachiis
Sursum ac seorsum extendite,
Compago donec ossuum
Divulsa membratim crepet.

Posthinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Jesus retectum palpitet. »

Ridebat hæc miles Dei
Manus cruentas increpans
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula. (*Perist.* V, 109)

Cum Vincentius ab igne et tortoribus invictus in carcerem truditur, ita anonymus refert : « Ibi fragmenta testarum exasperata passim congerite, » ut quidquid jacentis corporis male incisa tetigerit, illimatis infigat » aculeis, et ipsa conversio laterum innovetur ad pœnam..... Carceris » illius nox æternam accipit lucem. Solitudo horribilis angelorum rele- » vatur frequentia..... » — Prudentius :

Quin addit et pœnam novam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam
Nec fando compertam retro.

Fragmenta testarum jubet
Hirta impolitis angulis
Acuminata, informia,
Tergo jacentis sternerent.

Totum cubile spiculis
Armant dolores auxii,
Insomne quod super latus
Mucrone pulsent obvio. *(253)*

. . . .
. . . .

[*Sed*] Carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.

Agnoscit hic Vincentius
Adesse, quod speraverat
Tanti laboris præmium
Christum datorem luminis. *(270)*

Non diutius hac in collatione immorabor. Satis est si qua materie alita fuerit et fota Prudentiana poesis significavi. Similia de Romani martyris passione dicenda. Cujus historiam summatim in *Actis martyrum* ab Eusebio Pamphilo Cæsarensi episcopo narratam invenies. Tibi perspicere licebit quo hanc in suum usum pacto Prudentius verterit. Sic Eusebius : « Romanus..... Cæsariensis ecclesiæ diaconus et exorcista, eo ipso tem- » poris articulo quo ecclesiæ distruebantur (Galerio videlicet imperante) » Antiochum ingressus, cum innumerabiles viros simul ac mulieres una » cum parvulis templa Deorum confertim adeuntes et sacrificantes vidis- » set..... contenta voce inclamans objurgare eos cœpit. Ob hujus facinoris » audaciam illico comprehensus..... martyrio decoratus est. Nam cum » judex eum ignis supplicio addixisset, ille hilari vultu et admodum animo » sententiam accipiens, ad supplicium est adductus. Deinde alligatus ad » stipitem, congestis undique lignis et sarmentis, cum ministri qui rogum » accensuri erant imperatoris, tum forte præsentis, judicium exspectarent :

» Ubi, inquit, mihi ignis? Quibus dictis, accitus coram imperatore sistitur, » novo quodam supplicii genere plectendus, linguæ scilicet abscissione. » Comperta igitur novitate supplicii, nequaquam conterritus ultro prætendit linguam, eam promptissime desecandam carnificibus præbens. Post » quod supplicium contrusus in carcerem..... in ipso jacens nervo, fractis » laqueo faucibus, martyrio, sicut optaverat, exornatus est (1). »

Hæc est Eusebii in *martyrum Palæstinæ* libro narratio. Alia est ejusdem, excursus vel sermonis speciem præbens, de eodem, in libro secundo *De Resurrectione et ascensione Domini,* quam, utpote ampliorem, effusiorem, splendidiorem propius sequitur Prudentius. Quædam ab ista excerpo hactenus ut quibus auxiliis usus fuerit Prudentius palam fiat. Postquam judex Romanum tradi flammis jusserat, cum congererentur sarmenta, cannæ, « quidam de Judæis et alii homines dicebant : Ubi est eorum » Deus?..... Cœli dominus jubet nubibus coronari cœlum .. neque accendi » flammam permittit. Hæc cum audiisset tyrannus, jubet judici jam non » debere jurgari eum ad Deum, sed istum quem liberavit Deus dimitti » debere. Judex autem quid facit? præcipit linguam qua fuerat locutus..... » præcidi. » Prudentium nunc audi :

At parte campi ex altera immanem pyram
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim subdita et feni struem
Spargens liquato rore ferventis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.

Et jam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo :
« Scio, inquit ille, non futurum ut concremer
Nec passionis hoc genus datum est mihi;
Et restat ingens quod fiat miraculum. »

Haec ejus orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis, nimbus undatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces,
Sed vincit imber jam madentem fomitem. (*Perist.* X, 846)

....
....

Quod cum tumenti nuntiatum judici,
Commovit iram fellis implacabilis:
« Quousque tandem summus hic nobis magus
Illudet, inquit, Thessalorum carmine
Paenam peritus vertere in ludibrium? (866)

....

Jam nunc secandi doctus adsit artifex (886)

....

(1) Eusebius, in *libro martyrum Palæstinæ.* — V. Ruinart : *Acta primorum martyrum.*

Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni sola vivit nequior:
Illa et procaci pessima in nostros Deos
Invecta motu fas profanavit vetus
Audax et ipsi non pepercit principi. » (891)

Apparet satis Prudentium Eusebii libro *de Resurrectione* nixum esse, libere auctorem suum secutus, videbimus infra quibus mutatis. Unde colligere licet primum quasi fontem ex quo Noster sive scribendi consilium sive carminum materiem hauserit nihil aliud nisi ecclesiam fuisse, in qua aut Ambrosianos hymnos diu noctuque cantitatos audiebat, aut martyrum historias summa fidelium veneratione et favore recitatas. Hinc *Cathemerinon* omnes, *Peristephanon* unus et alter.

Adde aliud, non prætereundum, scilicet patria et domestica monumenta, per Hispaniam populari rumore tradita, quæ ad sanctorum vitam mortemque pertinerent. Neminem fugit plerosque *Peristephanon* martyrum hispanorum esse (I, III, IV, V, VI, VIII, XIII). Non excludo de Cypriano hymnum (XIII), cum constet communi quasi laude et hispanos et africos martyres cultos esse, quod ex Augustini *sermonibus* patet. Palam est Prudentium populares rumores pietate quadam domestica, septentrionalis præsertim Hispaniæ per urbes, aucupatum esse, eorum laudationibus quæ sive Cæsaraugustæ, sive Calagurri, sive Tarracone recitabantur vehementer fuisse commotum, loca quibus, recenter adhuc, passi erant pie recognovisse, demum eorum laudes, et ipsum celebravisse et carminibus illustrasse. Nosse licet quo pietatis impetu, qua vehementia, domesticos martyres extollat, cum hispanas urbes fingit, supremo die, ossa martyrum suorum canistris Christo dona ferentes (*Perist.* IV, 13; Cf. *Perist.* VIII, 1). Locos eos cum legis, non poetæ tantum, non modo Christiani, sed Hispani insuper ingenium, mores, animum deprehendis, patriis et, ut ita dicam, suis (absit verbo invidia) penatibus gloriatis, quos peculiari et familiari cultu amplectitur.

Christianæ pietati, ecclesiasticis studiis, patriæ et domesticæ sedulitati, aliquid et addendum est, ut quibus ex seminibus Prudentii poesis tota adoleverit plane teneas. Finge, nec vere fictio erit, Prudentium postquam et ossa martyrum veneratus erat, et Ambrosianos hymnos cum populo fidelium cecinerat, et recitata martyrum facta audierat, sæpe, puerilium studiorum non immemorem temporisque quo « *ætas prima crepantibus fleverat sub ferulis,* » profanorum ad volumina poetarum, umbratili in secreto, relapsum esse, ita ut pia carmina, quod minime querimur, sæpissime meram antiquitatem redoleant. Pauca tantum exempla referam. Locos conferre velis qui sequuntur. Prudentius scribit :

Ne limum fragilem solutæ
Deserant vires et aquosus albis
Humor in venis dominetur. (*P.* IV, 187)

Horatius (Carmina II, 2, 14):

.... nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.

Prudentius :

Carnis voluptas omnis per nefas ruit. (*P*. X, 515)

Horatius (Carmina I, 3, 25):

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Prudentius :

Tunc et ense cæsa virtus triste concussit solum. (*P*. I, 49)

Horatius (Carmina II, 5, 12):

Cum fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento

Prudentius :

Nec minus instabili sonipes feritate superbit
Impatiens madidis frenarier ora lupatis. (*Psych*. 190)

Prius autem Horatius :

..........gallica nec lupatis
Temperat ora frenis. (*Carmina,* I, 8, 6)

Prudentius :

Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia provenerint. (*C*. III, 76).

Virgilius (*Eccl.,* I, 81) :

.... sunt nobis mitia poma.

Prudentius :

Saucius dolore multo colla fractus sibilat. (*C*. IX, 90)

Virgilius (*Æn*., V, 177) :

Parte ferox ardensque oculis et sibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis seque in sua membra plicantem.

Idem (*Georg.,* III, 421) :

Tollentemque minas et sibila colla tumentem.

Prudentius :

Tantus amor terræ .... (*Apoth*. 1028)

Virgilius (*Georg.*, II, 301) :

Tantus amor terræ ....

Virgilius (*Æn.*, VI, 462) :

Per loca senta situ cogunt noctemque profundam.

Prudentius :

Per loca senta situ et vepribus. (*Per.* III, 47)

Virgilius (*Georg.*, II, 462) :

Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

Prudentius :

Mane salutatum concurritur. (*Per.* XI, 189)

Virgilius (*Georg.*, II, 464) :

Illusæque auro vestes.....................

Prudentius :

Illusa pictæ vestis inania. (*Per.* XIV, 105.)

Virgilius (*Æn.*, V, 700) :

At pater Aeneas casu concussus acerbo

Prudentius :

.... gemitum dedit omnis
Virtutum populus casu concussus acerbo. (*Psych.* 797)

Horatius :

Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus. (*Carmina*, I, 12, 11)

Prudentius :

O mors auritis jam mitis legibus!... (*Apoth.* 767)

Hæc hactenus : satis manifestum factum est exemplaria latina diligenti manu versavisse Prudentium. Non dicam græca. Nihil enim est unde conjectare queam græcarum litterarum peritum fuisse Prudentium præter hæc nomina græca quæ ad inscribendos libellos suos lubens affectat, ne illa quidem optime electa aut formata. Ut enim probandum est nomen *Peristephanon* cum de coronis martyrum agatur; ita minus *Cathemerinon* laudo, cum multi ex hymnis hoc nomine dictis non de quotidianis studiis sive votis sint (VII, VIII, X, XI, XII); multo minus et *Apotheosim* quæ nullo modo ullam ad Ἀποθέωσιν pertinet; *Psychomachiam* quæ non de intimo prælio, mentis in secreto conserto, est, sed de acie homerica orbem terrarum quæ pro campo habet; *Hamartigeniam* quæ minori tantum parte

ad peccati originem, ut vidimus, pertinet, concertatorio plus quam præceptivo genere. Animadvertendum insuper sæpissime græcis vocabulis usum esse Prudentium in latinam linguam conversis : memorabo *Allophylum* (*Ham.* 500, *Ditt.* 71), *Azymon* (*Apoth.* 353), *blasphemium* (*Psych.* 715), *idolatris* (*Ham.* 404), *mysteriarches* (*Perist.* II, 350), *sphragitis* (*Perist.* X, 1076), *stigmare* (*Perist.* X, 1080). Nullum autem video locum qui græci scriptoris imitati vestigium manifestum præbeat (¹). Quod ad discursus quosdam quibus Socraticam vel Platonicam disciplinam carpere nititur, documento minime ii sunt Prudentium de quo disserebat rem tenuisse. Verisimile existimo nostrum græci sermonis peritum, litterarum græcarum fere omnino rudem fuisse. — Adde, quod miraberis magis, quod autem non dubium habendum esse opinor, minime Prudentium e sacris scripturis auxilia aut opes quæsiisse. Non negare velim historias, exempla, fabellas, documenta crebro a Prudentio e scripturis petita fuisse. Testis *Cathemerinon* IV, quo referuntur Maris Rubri transitus, Mosis miracula, aqua e saxo scaturiens, coturnices, manna; testis *Cathemerinon* VI quo memorantur Josephi, Johannis (in Apocalypsi) somnia; VII, quo Helias, Moses, Jonas jejunantes effusius narrantur, loci alii sexcenti. Palam tamen est novi et veteris testamenti nostrum ῥαψῳδὸν sacrorum poetarum sermonem, imagines, figuras, motus, omnem, ne multa ποιητικὴν minime ad suam utilitatem convertisse, et, cum res mutuaretur, artem prætеriisse, quæ dolenda est et maximi momenti jactura.

Ad summam fingas tibi Prudentium, litteratum hominem, poetarum latinorum succo refertum, græcorum fere rudem, scripturarum sacrarum peritum, earum autem artem dedignatum, Ambrosii, Hilarii hymnis vehementer commotum, martyrum historiis pie concitatum, lyricis carminibus studia Christianorum solemnia et martyrum fastos retulisse, cum vellet, Sancti Basilii consilia secutus, profanorum vatum opes et ornamenta ad veri gloriam Dei et fidelium confirmationem convertere.

§ III. — *Cathemerinon hymnorum descriptio.*

Diximus summatim Ambrosium ducem magistrumque, quod ad lyrica attinet, Prudentii fuisse. Rem propius discutiendi tempus est, quæ imprimis ad Cathemerinon pertinet. Ambrosius, quem ad finem videmus supra, multos hymnos populari metro, dimetris iambicis scilicet, simplici et fere humili sermone, gravibus, vividis, aureis plerumque sententiis composuit. Nulla esse dubitatio potest quin hæc carmina, non litterati hominis in umbratili vita ludibria, sed vere ad fidelium cœtus parata cantica fuerint. Testis non modo Augustinus qui Ambrosii hymnos frequenti ecclesia Mediolanensi sese audiisse memorat tempore quo ad baptisma

(¹) Vide infra dubiam Prudentii et Ambrosii cum Simonide similitudinem hoc capite, § III, A.

accederet (Conf. IX, 6); testes hymni ipsi maxime populares his iambicis dimetris scripti, qui vulgares numeri erant ([1]), testis sermo depressus plerumque, vel hymni cujusque brevitas, ad cantilenæ speciem et modum accommodata, eaque quæ animum fidelium remitteret, non vocem frangeret. Quin etiam documento sunt quædam, rara equidem, manifesta tamen, et quæ miror Baehr ([2]) præteriisse, similiter desinentium versuum vestigia. Quorum exempla, si velis, attende (Hymn. I):

Gallus jacentes excitat
Et somnolentos increpat;
Gallus negantes arguit;
Gallo canente spes redit;
Ægris salus refunditur;
Mucro latronis conditur;
Lapsis fides revertitur.

Itidem in nono Hymno :

Somno refectis artubus,
Spreto cubili surgimus;
Nobis, pater, concentibus
Adesse te deposcimus.

Hæc carmina sunt sive de quotidianis Christianorum curis et studiis, sive de festis diebus apud Christianos usurpatis. Hymnus I nascentem diem celebrat; II *ante somnum* inscribitur; III de tertia hora est, qua mortuus est Christus; IV de Christo nascente; V de Evangelii miraculis; VI brevem tantum precem continet; VII ampliorem; VIII martyres laudibus extollit; IX *matutinus* est; X ad vigilias accommodatus; XI *vespertinus;* XII ad Christi salvatoris laudem. Jam patet Prudentium aperte ad Ambrosii imitationem sese applicasse, cum Ambrosiani primus hymnus et nonus Prudentii secundus *(Hymnus matutinus)* facti sint, Ambrosianus secundus Prudentii sextus *(Hymnus ante somnum)*, Ambrosianus undecimus Prudentii quintus *(Hymnus ad incensum lucernæ);* cum insuper octavus Ambrosii hymnus quasi *Peristephanon* universum argumentum continere videatur. Non hoc tantum. Si enim utrumque poetam conferas, apparebit Prudentium non materiem tantum sæpe mutuatum esse ab Ambrosio datam, sed singulares et sententias non semel ad suum usum convertisse. Ambrosius cum dixerit in hymno secundo *(ante somnum) :*

Dormire mentem ne sinas :
Dormire culpa noverit,

([1]) Vide Ebert : *Christlich-Lateinischen Literatur*, p. 172, 173; Baehr : *Christlichen Dichter*, p. 60, 61.
([2]) *Christlichen Dichter*, p. 60.

arripit sensum Prudentius et, jam effuse, suo more, explicat :

> Jamjam quiescant improba,
> Jam culpa furva obdormiat,
> Jam noxa letalis, suum
> Perpessa somnum, marceat. (*Cath.* I, 73...)

Imitatio manifesta est. Itidem cum de virginali partu dixerit Ambrosius (Hymno IV) :

> Alvus tumescit virginis
> Claustrum pudoris permanet,

Prudentius, mirabili lepore, sensum Ambrosianum evolvit hoc modo :

> Sentisne, virgo nobilis,
> Matura per fastidia,
> Pudoris intactum decus
> Honore partus crescere? (*Cath.* XI, 53)

Talibus in similitudinibus non immorari velim, ne credas totum ab Ambrosio Prudentium pendere, cum contra tantum ille huic viam aperuerit, dux equidem, non magister. Animadvertendum etiam non ad eumdem finem hinc Ambrosium, illinc Prudentium manifesto spectavisse. Vidimus enim Ambrosium ad popularem sensum, mores, vocem, musam suam accommodasse. Hinc brevitas hymnorum, sermonis humilitas fere sine imaginibus aut figuris, metrum populare, idem semper, optime ad cantilenam aptum (quod posterius versus gallicus octosyllabicus fieri debebat, tam media ætate vulgatus) (1). Hinc et sententiarum candida et sincera simplicitas, non quæsitus lepos, aperta et ingenua libertas non sine sublimitate, unde fit ut dicas te quasi ex incunabulis puerilem risum excipere. Hinc vitia insuper non parva, minima scilicet dispositionis cura, minimum adhibitum studium ut simplex et unum fiat opus, ut tibi imprimis ex hymnis tertio, septimo compertum habere libet. Adde nutantem prosodiam, haud omnino sinceram latinitatem. — Prudentium contra, umbratilem vitam colentem, ad litteratorum studia multo magis quam ad popularem usum spectavisse manifestum est. Hoc, ante omnia, ceteris a poetis lyricis differt, non solum ab Ambrosio, sed ab Hilario, vel Augustino, nedum Damaso proximus sit. Consilium, sine dubio, Prudentio fuit, non Ambrosii secundas partes agere, sed Flaccum christianum gerere, materie ceterum vel ab Ambrosio, vel ab Hilario petita. Inde fit ut tantum a quo proficiscitur novissime abhorreat. Pro brevissimo, qualis apud Ambrosium est, hymni tenore, amplam, effusam interdum, orationem nectit; grandem, pro humili, sermonem affectat, figuris, imagi-

(1) Cf. Ebert : *Christlich-Lateinischen Literatur*, p. 173.

nibus, similitudinibus, allegoriis valde, plus et æquo ornatum; rerum dispositionem plerumque curat, ut omne opus uni formæ reddatur; variis metris utitur et quibusdam minime in medio positis. Species, ut diximus, συμβολικὰς aucupatur, non istius generis omnino auctor, cum neminem fugiat hoc genus apud Ambrosium in honore fuisse, sed quasi magister ac princeps. Allegoria enim, cum Ambrosii legis hymnos, interdum subrepentem tantum deprehendis. Memineris velim, ut exempla habeas, duos primos Ambrosii hymnos, ubi Dies, Christi quasi species et figura, occurrit, Satan Noctis sub imagine terras involvit et terret. Apud Prudentium regno potitur Allegoria, omniaque fere sui juris suique arbitrii facit. Vidimus quo pacto, *Psychomachiæ* in præfatione, figuratam per explicationem, Caini et Abelis historiam narret Prudentius, mysteriorum factus interpres, subobscurus sane, ita ut sortilegis interdum parum discrepet sententia Delphis. *Psychomachiam* ipsam non memorabimus totam figurate compositam. Non alio modo solet se habere res in *Cathemerinon*, quorum in I *Nox* figuram nobis præbet *Peccati*, ita ut, quemadmodum e *Peccato Mors*, sic e *Nocte Somnus*, morti simillimus, oriatur; in II Christus sub *Diei* persona occurrit, cum *Dies* corpora, Christus animos illustret, foveat, reficiat; in IV, cum Danielum in fossa vides leonibus circumdatum, Christianum tibi fingere debes a dæmonibus obsessum, Dei sub tutamine securum. Sunt alia hujus modi permulta. Adde precibus, quæ quasi fundamenta sunt hymnorum et materies, fere nihil Ambrosium, descriptiones, narrationes, amplissimas nonnunquam, ut Jonæ in septimo *Cathemerinon*, inseruisse Prudentium (1). Unde, ne plura, satis patet Ambrosium, nec Ambrosium modo, sed et Hilarium, Augustinum, alios ignotos nomine, hymnis fingendis ad fidelium delectationem et usum spectavisse; Prudentium ad suum præsertim; illos fecisse quæ canerentur; quæ legerentur hunc scripsisse. Quibus satis discussis, singulos *Cathemerinon* volvamus :

(A) Sunt *Cathemerinon* qui primi occurrunt maxime ad Ambrosianum morem accommodati. Qui PRIMUS inscribitur de Christiani sententiis est *ad galli cantum*.

> Ales diei nuntius
> Lucem propinquam præcinit.
> Nos excitator mentium
> Jam Christus ad vitam vocat. (*Cath.*, I, 1)
>
> . . . .
> Ferunt vagantes dæmones,
> Lætos tenebris noctium,
> Gallo canente exterritos
> Sparsim timere et cedere. (*Cath.* I, 38)

(1) Cf. de omni hac re : Ebert : *Christlich-Lateinischen Literatur*, p. 245, 246, 247, 248, 249; Baehr : *Christlichen Dichter*, p. 77.

Sic ante galli cantum Petrus Christum negavit. Vix autem lux appareat :

Hoc esse signum præscii
Norunt promissæ spei. (*Cath.* I, 46)

Inde credimus sub ortum solis ex inferis Christum rediisse :

Jamjam quiescant improba,
Jam culpa furva obdormiat,
Jam noxa letalis, suum
Perpessa somnum, marceat. (*Cath.* I, 74)

Hic Prudentius iisdem et fere verbis, Ambrosium sequitur, ambo fortasse Simonidem, cujus quicumque memoria tenet celeberrima : « *Dormi, puer, obdormiat pelagus, obdormiat moles malorum* » Qualicumque modo se res habeat, ita prosequitur Prudentius :

Sunt nempe falsa et frivola
Quæ mundiali gloria,
Ceu dormientes egimus.
Vigilemus, hic est veritas ! (*Cath.*, I, 89)

Hoc epilogo concludit carmen, quod nec motu viget, nec multis imaginibus exornatur, et potius sacram concionem quam hymnum videtur sapere.

(B) Allegoricum ad genus pertinet quoque SECUNDUS peristephanon, ampliore tamen addita descriptionis parte. In qua postquam poeta « *Solem igneum surgentem* » descripsit, quo redeunte subito sceleris conscium

Piget, pudescit, pœnitet, (*C.*, II, 26)

alios aliis studiis exercitos homines ostendit : Rusticus et mercator

Avara suspirant lucra.
At nos, lucelli et færoris
Fandique prorsus nescii,

Jacobum imitemur, qui, sub diluculum, cum angelo congressus, sudavit impar prælium. Teste Deo nihil improbum agamus. Hic, descriptis hominum laboribus et Jacobi cum angelo certamine, nonnulla subest varietas et excursus quasi pindaricus, qui, cum aptius tum fusius in carmine TERTIO exspatiatur.

(C) Qui *ante cibum* inscribitur. Exordium sublime et vere sacram poesim redolens :

O crucifer, bone lucisator
Omniparens, pie, verbigena. (*C.*, III 1)
. . . .
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere. (*C.* III, 8)

Sequntur perplexa quædam et subobscura de hac sententia : « *Fercula nostra Deum sapiant.* » Adduntur vero lepidiores quædam strophæ de vario ciborum genere, de piscibus, bacis, olivis. Carnem scilicet respuit poeta, horret « *sanguineas lacerare dapes.* » Non minori elegantia et venustate de fructibus cetera canit et pindarice devertitur. Scilicet omnia Deo, vitamque ipsam debemus. Ille creavit Adamum et Evam; sed invidus terrestrem paradisum invasit Draco, mulieremque vetito fructu tentavit. Quo excursu perfecto, tertiam carminis partem, omnia complexuram Prudentius adjicit, oratque Deum « *neu piger immodicis dapibus Viscera tenta gravet stomachus* ». Quæ cuncta satis apte constant, neque artis ignoratæ crimine poetam premunt. Unde jam intelligis quo ordine pleraque Prudentii carmina procedant, quid Noster Ambrosianæ jejunitati addiderit.

(D) *Post Cibum* hymnus QUARTUS, breviori tenore. Pastis visceribus, Christus cum Spiritu corda subit, sed hac tamen conditione « ne crapula ferveat. » Sic olim Dei potestas in leonum cavea Danielum servavit. Quem tramitem poeta occupat exspatiaturus. Cum enim ferarum ira mitescit, Deus apparet vere castitatis et sobrietatis vindex. Hinc ad sobrietatem legentes hortatur Prudentius.

(E) *Ad incensum lucernæ* vulgo QUINTUS inscribitur *Cathemerinon.* Quo de titulo simul ac hymni materie lis est. Sunt enim et manu scripti libelli et editores qui hoc carmen sub titulo « *ad incensum cerei paschalis* » edant [1], opinenturque hoc carmine Prudentium de paschali nocte disseruisse, non de quotidiano solis discessu, ita ut hymnus ipse non *quotidianis* hymnis annumerandus esset, ut I, II, III, IV, VI, IX, sed *solemnibus* ut VII, VIII, X, XI, XII. De paschali nocte Prudentium locutum fuisse a versu 125 ad 179 nullo modo infitiandum est. Quibus enim versibus ferias et terrestres et infernas paschali nocte celebratas palam describit :

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis; (*C.* V, 125)

necnon festa lumina describit, quæ de qualibet nocte si dicerentur perabsurdus locus esset, de paschali tantum nocte dici merito possunt :

Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.

Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus,
Et, qua bosphoreum temo regit jugum
Passim purpureos spargier hesperos. (*C.* V, 141)

[1] Non Puteanus codex, qui hunc hymnum « Ad incensum lucernæ » inscribit.

Ex his nullo modo negare velim colligi posse de paschali nocte Prudentium locutum fuisse. Quod vero de hac parte hymni verum est, non de toto hymno. Principium enim *Cathemerinon* V recognosce. Hic de luminibus, non paschalibus modo, sed omnibus disserit Prudentius; hic non peculiare et solemne lumen, sed luminis ipsius naturam, luminis ipsius munus, a Deo tributum, spectat. Liceat tibi opinari :

Inventor rutili, dux bone, luminis
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.

Quamvis innumero sidere regiam
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.

Nec nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit. (*C.* V, 1)

Nonne, postea, palam est non ad paschalia lumina hæc pertinere, sed ad quamlibet manu fictam lucem :

Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis :
Quin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius conlita fingimus.

Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppea calens bibit. (*C.* V, 13)

Inde concludere licet minimam in principio, id est proposito, hymni. mentionem de paschalibus feriis, minimam sententiam non incurrere. Verisimile igitur paschale lumen non materiam præcipuam *Cathemerinon* quinti esse, sed excursum quemdam hujus hymni, immo unum ex excursibus, quod magis e toto operis tenore, cursim recognito, palam fiet (1).

Postquam enim Prudentius de lumine ipso, de variis humanos ad usus accommodatis luminibus, ut vidimus, disseruit, Deo ignis originem tribuendam esse demonstrat, ardente Mosis rubo memorato. Quam viam cum semel est ingressus, immittit habenas et campo aperto ruit. Rubri maris transitum expingit; Mosis miracula ex ordine commemorat, aquam e saxo scaturientem, coturnices, mannam. Quam vix memoravit cum

(1) De omni hac re vide Baehr : *Christlichen Dichter*, p. 87 ; Ebert : *Christlich-Lateinischen Literatur*, p. 245, notula.

subito novo excursu gaudet poeta. Scilicet sic mystico ciborum genere nos quoque Deus sustentat, quo justorum in patriam confirmati ducamur. Hic deliciarum locus et paradisi quæque singula pium poetam morantur. Quin etiam inferos adit, ubi supplicia mitescere declarat nocte ante resurrectionem Christi proxima; qua sententia demum ad paschalem noctem et paschalis noctis lumina pervenit, non tamen hac re hymnum conclusurus; nam ad lucem ipsam universam, mystico sensu significatam, regressus, exclamat :

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen, quod famulans offero, suscipe
Tinctum pacifici christmatis unguine.

(F) Sextus hymnus titulum præfert *Ante Somnium* : « *Ades, pater supreme* » incipit vates; tu jubes somnum obrepere, ut membra quiete relaxemus; sed volitantibus somniis jactata mens excurrit, et variis imaginibus, boni malive, ludimur. Quam diversa enim viderunt somno sopiti. Josephus in carcere, sanctus Joannes in Apocalypsi. Quibus somniis consimilia non sibi poeta precatur, sed puram quietam, quam ut consequaris, suadet ut crucis signo te munias dæmonas fugaturo. In hoc carmine nil certe quod admireris eminet, præter hanc auream sententiam, non bene ad reliqua accommodatam :

Idem [*Deus*] tamen, benignus
Ultor, retundit iram,
Paucosque non piorum
Patitur perire in ævum.

Sed forte miraberis quod, minus quam pro more effusus, non certamen æmulus ineat cum Juvenale vel Lucretio de sceleratorum somniis.

(G) Septimus est *Hymnus Jejunantium*. Jejunium efficit ne « *crapula premat ingenium* ». Vires a jejuniis ducit animus. Testes Helias qui fame libens laboravit, Moses qui decem dies victu abstinuit priusquam Deum videret, S. Joannes, Jonas, et Ninitivæ qui peccatis cœlestem iram accenderant. Inde sequitur Jonæ omnis historia. Jejunium igitur extollit Prudentius concludens.

(H) Octavus Cathemerinon *Post Jejunium* inscribitur. Deus, qui nos « *hortatu lactat amico* » non jejunantem jubet deformari neglecto cultu, pallentia ora præstare, sed hilarem et bene compositum se ferre, jejuniique tempore acto, etiam abundantia mensarum frui. Ergo grates Domino reddantur pro tam suavi et remisso imperio.

Totum hoc carmen, temperato genere discendi et dulciloquum, nec in nimiam amplitudinem productum, vere hymni sacri speciem præbet.

(I) Cathemerinon Nonus *(hymnus omnis horæ)* festis aut profestis diebus commune carmen suppeditat, in quo igitur omnia cani possunt. A Deo creatore principium. Deinde Christum Salvatorem poeta dicet, Evangelii

miracula aggerabit, Ambrosii ad exemplar. Puero Jesus mortuo « *surge* » dixit : ille surgit. Idem Lazarum jubet vivere. Christi miraculis Inferi quoque stupent, quorum porta, illo seu veniente, seu decedente, reseratur. Cum moritur Jesus, sol refugit, lugubri ferrugine orbis involvitur; postquam cruci affixus animam Christus efflavit, comitantibus tamen sanctis, e tumulo vivens exoritur :

Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum. (*Cath.* IX, 94)

Postea Jesus « *arduum tribunal Patris ascendit* » ubi et senes et juventus et parvuli eum « *omnibus concelebrant seculorum seculis.* »

(K) Decimus « *ad defunctorum exsequias* » spectat. Deus hominem effigiavit. Itaque suam imaginem non deleri in æternum sinet. Ex hac sententia, ampla quidem et gravi, profectus, brevi Prudentius in dialecticum genus poesis incidit paulo obscurius. Ad scripturarum memoriam post revocatus poeta, ut solet, exemplum Tobiæ nobis proponit, cujus mortuis humandis cura tanta mercede excepta est. Ne malis igitur frangatur homo, quippe « *ad astra doloribus itur.* » Post resurrectionem, « *morbus sua tormenta luet mille inter vincula.* » Quid igitur, quid turba superstes intempestivos ululatus querelasque impias edit? Compescite questus pudendos; nullus plangatur de suis pignoribus :

Mors hæc reparatio vitæ est. (120)

Inter gravissima et excellentia poemata Prudentii commendatur hoc carmen sincera fide, tenera pietate, nobili et alto spiritu, quæ simul commoveant animos et extollant. Memoremus insuper ultimam strophen, antiqua simplicitate eximiam :

Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde frequenti,
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore. (169)

(L) « *Octavum diem ante Kalendas Januarias* » id est *nativitatis* diem, celebrat Cathemerinon Undecimus.

In ipso Patris gremio, mundi jam creandi particeps fuerat Christus. Nunc vero manifestior omnibus Christus nascitur; verbum caro fit, et « *sermone carnem glutinat.* » Barbara equidem hæc dictio, sed quam feliciter S. Ambrosium æmulatur et vincit Prudentius cum addit :

Sentisne, Virgo nobilis,
Matura per fastidia,
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere? (53)

Mox, Christo nascente, rus floribus spargitur, littora arida nardo et nectare fragrant; adorant natum Deum homines et feræ; « *sapit quod brutum fuit;* » unde in peccatores et Judæos invehitur poeta qui Deum infitiati sunt. Tardius isti eum agnoscent cum, Deus Tonans factus, e nubibus veniet, et « *meritis rependet congrua.* »

(M) Duodecimus idem et extremus Cathemerinon in *Epiphaniæ laudibus* versatur. Animadvertunt Magi stellam ceteris fulgentiorem, nempe æternam. Quid inde portendatur ab aliis alii sciscitantur, et, cum apud stabulum Bethleem advenere, Deo tura, regi aurum, sepeliendo Christo myrrham offerunt. Tum vero ecce pueros innoxios trucidari jubet Herodes: quam cædem, vim affectans non sine quodam ambitu, poeta describit (113...).

Christus ex hac cæde evasit: solita excursus ratione Prudentius in memoriam Mosen revocat ex undis servatum. Mosi Josuam adjicit, ceterosque scripturæ sacræ viros insignes qui, prævia imagine, Christum prænuntiant.

Ad carmina quæ Peristephanon nominantur transeamus, ut et ista æque ac Cathemerinon, eodem modo, describamus; quo facto, quibus dotibus, vitiis, mendis, veneribus distinguantur et Peristephanon et Cathemerinon uno loco inquiremus.

CAPUT QUARTUM

De Prudentio poeta lyrico — De Peristephanon.

Peristephanon carmina sunt martyrum laudationes, lyrico metro, magnifico sermone, productissimæ pleræque.

Vidimus, cum Cathemerinon describeremus, Prudentium narrationes vulgo lyricis carminibus inserere. Tibi finge ita nunc narrativum genus lyrico immisceri ut illud polleat, hoc pene occæcetur, Peristephanon genus tibi jam satis apparet; epicum scilicet plus quam lyricum, et in quo plerumque epos potius lyrico metro ornatum occurrat, quam lyricum carmen narrationibus illustratum. Diximus jam quibus e fontibus hæc poemata manaverint, scilicet ex Damasi inscriptionibus (ut apparet ex Peristephanon hymno XIV cujus et initium et finis Damasi inscriptionem tumulo Agnetis impositam memorat), Ambrosii quoque poematibus (confer hunc ipsum de Agnete hymnum cum Ambrosii sermone de virginitate 98, I, 1; II, 4). Adde Eusebii Chronica a Prudentio in S. Hieronymi versione verisimiliter lecta (*P*. II, X), ejusdem insuper *de viris illustribus* librum, ut ex Peristephanon XIII conjicere licet, Tertulliani Præscriptiones hæreticas, ut ex Peristephanon XII suspicari possumus. Multi vero sunt Peristephanon quorum materiem a nullo præter Prudentium tractatam videmus, ii scilicet qui de hispanis martyribus sunt (*P*. I, III, IV, V, VI, VIII). Si addas materiem Peristephanon II, IX, XI, XII, XIV a Prudentio ante pedes in itinere Romam facto repertam esse, cum et Laurentii monumentum (*P*. II) Romæ, Cassiani (*P*. IX) apud Forumcorneliense, Hippolyti (*P*. XI) Romæ, Petri et Pauli (*P*. XII) Romæ, Agnetis Romæ viderit, et se vidisse plane significet, repertum habebis Prudentium nihil fere celebravisse quod non oculis spectaverit, manu tetigerit, genuina semper et domestica poesi usus, non aliena aut invecta. Restant enim soli qui non Prudentii proprie sunt Perist. VII, X, XIII ex quibus unius (XIII) fere domesticam Prudentius habebat materiem; quippe Cypriani de quo est *Perist*. XIII Carthaginiensis episcopus fuit. Constat autem quasi cognatas fuisse africanam et hispanicam ecclesias illis temporibus, et ex Augustini

sermonibus liquet vulgo hispanos martyres in Africa celebratos fuisse. Quod ad *Perist.* VII attinet, Quirinus martyr, Sisciæ equidem in Pannonia episcopus fuit, ejusque ossa, auctore Prudentio ipso, Sisciæ jacebant (« *Urbis mœnia Sisciæ Concessum sibi martyrem Complexu patrio fovent.* » *Perist.* VII, 1). Fertur tamen hujus Quirini reliquias Romam invectas fuisse Barbaris Pannoniam invadentibus et in Callisti catacumba jacuisse [1]. Potuit illic eas vidisse Prudentius Romæ peregrinans, ante quam in Pannoniam reveherentur; quod significare videtur verbum « concessum ». (Quæ res, si plane constaret, fidem faceret Prudentium Romæ versatum fuisse intra annos 376 et 380, cum his temporibus Hunni Pannoniam occupaverint). Ne plura, verisimile solum Romanum, Anthiochensem episcopum (*Perist.* X), fuisse quem Prudentius alienis quasi e manibus canendum exceperit, qui forsan, ut Ebert suspicatur [2], sui nominis gratia, singulari Romæ cultu fruebatur.

Hæ sunt causæ cur non ratione utamur solita, qua vulgo in duo genera hymni Peristephanon distribuuntur, hic positis iis qui ad hispanos martyres pertinent, ut qui sint proprii Prudentii et domestici, illic iis qui ad Romanos vel Italos ceterosque spectant. Potius esse opinamur primum hymnos perpendere qui populares magis et ad vulgi sensum accommodatiores videntur, fatentes tamen horum plerosque ad hispanos pertinere; postea carmina recognoscere quæ spiritu, compositionis amplitudine, magnificentia verborum magis commendantur; demum singulare, unum, de Romano scilicet carmen, quod narrationis tractu, extra solitos hymni terminos exspatiatur, et epici carminis speciem præbet.

§ I. — *De Peristephanon minoribus vel popularibus.*

(A) Est unus Peristephanon qui vix hymni nomen sibi vindicare jure potest, VIII scilicet, quem potius inscriptionem sive epigramma nomino. *Baptisterium Calagurri* erat fundatum ipso in loco in quo duo martyres passi erant. Hoc viatorem monet poeta decem et octo versibus, quorum nonnulli non viles.

(B) In VII Peristephanon jam nobis apparet quod sibi plerumque Prudentius proposuerit hymnos de martyribus scribens. Martyris cujusdam historiam, *legendam*, ut proprium nomen usurpem, eligens, in animo habet poeta monere, laudare, hortari, supplicare. Inde et narratio semper, fere semper martyris præconium, sæpissime suasoria quædam qua fideles ad martyris virtutes imitandas inducantur, nonnunquam, clausulæ in modum, preces quibus seu fidelibus sive ipsi poetæ Dei munera petantur. Quarum partium præcipua tantum, et sine qua non Peristephanon est, in Peristephanon VII reperitur, scilicet narratio. Quæ hic simplex et pura est,

(1) V. Ebert, *Geschichte der Christlich-Lateinischen Literatur*, p. 251, notula 4.
(2) P. 251.

nullo ornamento addito, cum primi versus ubi quiescant martyris ossa moneant, ultimus martyris mortem. Hic *Quirinus* est, qui imperante Galerio passus est. Molarem e collo suspensam gerens præceps in flumen datus erat. Cum lapide tamen levis innatat, et adstantem miraculoque stupentem turbam solaturus alloquitur; Jesum per aquas gradientem, Hebræos pede sicco Jordanum transeuntes memorat; tandem, mortem ipse postquam precatus est, immergitur. Siscia urbs ejus ossa tenet.

(C) Productiorem habemus hymnum, nec una e narratione constantem, I Peristephanon. In quo, materie paululum deficiente, cum duo milites, Emeterius et Chelidonius, calagurritani, obscuri ambo, canendi essent, simplici equidem sermone, sed fusius poeta de martyrii ipsius virtute disserit, post mortem utriusque militis memorat, de oblivione famæ queritur quæ efficit ut de utroque non plura memorari possint, miracula canit quibus sepulcrum martyrum celebratur, brevissimam hortationem addit, vix hortationem, piam potius ἀποστροφὴν (« *State nunc, hymnite matres...* » v. 118...)

(D) Maxime popularis generis est II Peristephanon quo Sancti Laurentii laudes dicuntur. Productum carmen, sed simplicissimo sermone, fere omne ex narratione constans. Videtur tamen Prudentius, ipsa narrationis latitudine monitus, inductum fuisse ut poematis structuram componeret additis in principio Romæ præconio in qua tot monumenta martyrum servantur et coluntur, ad finem piis querelis quod tanto ex Iberis hæc monumenta spatio removentur, postea precibus et votis brevibus pro semet ipso (« *Audi poetam rusticum...* » v. 574...)

Ita inclusa et illigata narratione, hymnus omnis, etsi productus, satis apte compositus et conclusus videtur. Quod ad narrationem pertinet, vere popularis, non dico plebeia, est, et ea quæ non « *rusticum* », sed simplex et sincerum sapiat, non omnino remota festivitate quadam, quam non insulse Ebert vocabulo britannico *humour* significat (1). Nempe adducitur Laurentius ad provinciæ præfectum, qui sancto archelevitæ crimini vertit quod arcanos in Ecclesia congerat thesauros et custodiat. Vestris, ait, hominibus mos est sua vendere bona, quorum pretio donent Ecclesiam, unde « *successor heres gemit* ». Minitantem præfectum Laurentius precatur, ut sibi responsuro dies proferatur; nam « *calculanda primitus, tum subnotanda est summula* ». Præfectos inde « *spem devorat* ». Urbis autem omnes Laurentius convocat pauperes, quorum recensio variaque difformitas vividis coloribus exscribuntur. Illos in præfecti conspectum cogit Laurentius, et isti turbæ contendit inesse divitias, libidinum putri splendore præstantiores. Tu ipse, imperator, exclamat, paulo forsan scurrilius : « *Morbo laboras regio* ». Ceterum, resurrectionis die, non ita sordebunt pauperes, sed « *purpurantibus stolis clari* » nitebunt, divites « *pannis videres obsitos* ». Minis furens debacchatur præfectus. Quem, morte contempta,

(1) *Geschichte Christlichen Literatur*, p. 253.

placidissimo ore excipit Laurentius. « *Votiva mors est martyri* », furens ait præfectus : rogo igitur Laurentius imponatur; sed « *ne fervor ignitus nimis os occupet contumacis et cordis intret abdita* ». Exquisito morarum tractu adhibito:

Vapor senescens langueat,
Qui fusus adflatu levi
Tormenta sensim temperet
Semiustati corporis (345).

Mox, secundum *legendam,* martyr impetrat ut, mutato latere, « *pars corporis satis cremata convertatur* », et mox addit, nimium forsan scurriliter : « *coctum est, devora, Et experimentum cape Sit crudum an assum suavius* » (406).

Rogat dein Laurentius ut erroris impii Romam pœniteat, ceterum jam proximum adesse Constantinum prævidet (« *video futurum principem,* » v. 473); quo solatio recreatur, donec « *finis orandi, finis idem vinculi carnalis* » veniat.

Hoc est carmen, narrativum idem et oratorium, litigiosum, ut ita dicam, adde maxime ad sensum popularem accommodatum, in quo nescio quid « *jurgiorum* » reperias in quæ « *male pertinacem* » et « *turbidis animis* » sese juniorem irrupisse Prudentius, in præfatione universa, confitetur.

(E) VI Peristephanon est *in honorem Beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi Tarraconensis et Augurii* et *Eulogii diaconorum.* Eadem ratione hic dispositus est hymnus qua supra descriptus. Quemadmodum supra Prudentius Romam laudabat quod Laurentii ossibus fruebatur, post Laurentium canebat, denique, cum de remoto Laurentio querebatur, tum supplex ad illum convertebatur; ita nunc primum grates agit, utpote hispanus, quod Tarraco Fructuosum tenet, dein Fructuosum ejusque comites concelebrat, postremo, et « *urbes hiberas* » laudat de tantis patronis, et sibimet Fructuosi patrocinium, pro « *dulcibus hendecasyllabis* » postulat.

Fructuosus episcopus Tarraconensis, præsidis jussu, ad forum, dein ad carcerem, duobus diaconis comitantibus ducitur. In carcere comites adhortatur. Sexto die exacto, quæsitor Æmilianus eos educit, edictisque Galliani parere et Deos adorare jubet. Renuentes pios viros tortores deducunt ad circum. Ingrediuntur circum « *ferarum multo sanguine madentem* » ubi « *gladiator percussus cadit, et fremit voluptas* » (62, 65). Ut paratum ascendunt bustum calceos exuunt sancti, ut ipse Moses ad Rubum ardentem accedens. Flamma catenis eorum brachia exsolvit quæ possint in crucem extendere. In fornace tres Hebræos dicas adstare. A Deo tandem sibi parentem flammam acrius sævire martyres impetrant, quos in cœlum ascendentes satelles quidam admiratur, et filiæ præsidis ostentat.

Invadunt sanctorum ossa Christiani, partemque sibi quisque suam rapiunt. Apparent autem stolis candentes humeros amicti martyres et suas reliquias eodem tumulo recondi jubent. Illos invocat Prudentius, praesertim

orat, ut sua ipsius tormenta olim Fructuosus allevet « *dulces hendecasyllabos revolvens.* »

(F) Multum secundi Peristephanon speciem refert V qui *de S. Vincentio* est. Utriusque eadem ratio, dispositio, metrum idem. Æque uterque ad populare genus omnino refertur. Breve prooemium, producta et fusa narratio, ad finem preces et vota ad *indulgentiam* in Sancti celebrati fautores alliciendam. Adde quædam in narratione vulgaria et sordidula æque ac in hymno de Laurentio, et ea quæ turbæ nimium ad sensum accommodentur. Jam partim hymnum quintum Peristephanon descripsimus cum quibus ex fontibus Prudentiana poesis manaret requireremus. Scis jam Vincentium diaconum cum Valerio, Cæsaraugustæ episcopo, cum nollent saxea et lignea numina colere, ad quæstionem raptum esse. Non aliter se habet narratio apud Prudentium, nisi quod, ut apud nostrum fit sæpissime, ad oratorium genus inclinat et longa concione oneratur. Nempe priusquam Cæsaris præfectus (vel præses), Vincentium ad tormenta trahi jubet, mire commodus et patiens pro tyranno, diu cum diacono delitigat. Postea tormenta fuse et particulatim describuntur, quæ ridet miles Dei, ita ut « *ars et dolorum vincatur.* » Victus et tyrannus ad rogum deduci jubet martyrem; nil valet ignis adversus sanctum; nil postea carcer horrens tenebris; nil testarum fragmina quibus carceris solum consternitur. Mox lumen cœleste in carcerem irrumpit, testarum fragmina in rosas vertuntur, angeli militem Dei ad Dei contubernium vocant. Inde poetæ preces et vota.

§ II. — *De Peristephanon majoribus, vel qui magis a vulgari sensu abhorrent.*

Venimus ad hymnos qui magis ad lectorem spectare videntur quam ad fidelium aures in ecclesia sedentium. Hic *legenda* recedit plerumque, historia suum jus vindicat. Sententia saltem, non dicendum est altior, sed exquisitior, concinnior, rerum pondus plerumque gravius. Sunt ex his qui rhetorem, alii urbanum hominem, alii vel antiquitatis diligentem exploratorem doctumque virum redoleant, unde confirmatur nobis Prudentium fuisse cum plebis pium magistrum, tum eum qui peritorum aures non parvo studio allicere, delectare, ad Dei gloriam, niteretur.

(A) Scholasticus unus Perist. est, quem timeo ne quis et puerilem existimet, IX scilicet, qui est de magistro a discipulis martyr factus, non, ut fit, translativo sensu, sed vere et ad verbum. Quæ « *historia* », ut ait Prudentius, etsi « *tradita libris* », itineris a Prudentio Romam facti monumentum est, et narrationis a viatore factæ speciem servat. Videmus poetam, cum Romam petit, apud Forumcorneliense morantem, Cassianum, loci patronum, colentem, et tabulæ inhiantem qua senex a pueris vexatus et perfossus pingitur. « *Æditus consultus* » Cassiani mortem memorat qui a discipulis vesanis, cum multo ludibrio, stimulis et ferreis acuminibus

dilaniatus fuit. Vivida est narratio, varia, concinno et expedito sermone, nimium, ut mihi videtur, crudelibus facetiis puerorum indulgens. Sequitur Prudentii precatiuncula et grates redditæ pro exaudito voto.

(B) Duo Perist. ad sanctas easdemque martyres virgines respiciunt, III qui est de Eulalia, XIV qui de Agnete. Uterque cum simplici, non fucato, ut rem decet, sermone sit, urbani nescio quid habet, venusti, limæque majorem quam de more Prudentii laborem præfert. Modico uterque tractu, justa structura, partibus bene inter se congruentibus, inter eximia Prudentii opera eminet.

Pene sine ullo procemio, sine ullo magni promissoris hiatu, ut alias fit apud Prudentium [1], poeta ad rem venit. Vix duodecim annos nata jam martyrium Eulalia sitiebat. Cujus parentes secretis frustra locis puellam nituntur abscondere « *ne fera sanguinis in pretium ruat.* » Illa tamen fugit, urbem petit; ultro præfecti adit tribunal, et christianorum fidem professa, Christi hostibus, ipsique Cæsari immortales inimicitias denuntiat; tortores præfectus jubet parare « *ministeria excruciabilis exitii.* » Interim lenibus et paternis fere consiliis virginem inflectere aggreditur, eam emissurus, « *si modicum salis et turis eminulis digitis tangere velit.* » Infremit et furit puella ; tortores adeunt, « *juncea pectora* » dilacerant, rogum parant, quem « *appetit et bibit ore* » puella. Eximia est virginis inter flammas descriptio.

Inde, virgine perempta, columba e rogo ad cœlum emicat. Desinens poeta memorat virgini templum erectum fuisse, hortaturque fideles ut Eulaliam colant, Eulaliæ tumulo flores largiantur. Ipse, ut solet, de se loquitur breviter, humiliter : « *serta Texta feram pede dactylico, Vilia, marcida, festa tamen* » (208).

(C) Iisdem dotibus, simplicitate, sinceritate, spiritu, compositionis uno et facili tenore, gravitate et urbanitate sermonis *de Agnete* virgine hymnus, qui XIV est, commendatur. Simillima et ratio carminis est dispositioque partium. Hic æque ac supra prooemium simplicissimum, fere nullum, narratio modici tractus, ad finem preces non productæ, et scriptoris de scriptore verbum vix unum. Fere nunquam tam recte « ponere totum » Prudentius calluit.

Agnetis sepulcrum Romæ jacet, Romanis, advenis quoque præsens. Agnes virgo et martyr fuit; « *Duplex corona est præstita martyri.* » Quæ cum contemneret Deos, ut contumacia ejus frangeretur, jussit judex eam « *in lupanar trudere publicum.* » Fisa Christo virgo paret : « *Ferrum impiabis sanguine, si voles, Non inquinabis membra libidine.* » Ita fit. Cum enim « *publicitus in flexu plateæ sistere* » virgo cogitur, et pii averso vultu refugiunt, juvenis unus os intendere audet. Haud mora, ales e cœlo lapsus, adolescentis impii oculos fodit. Agnes Deum precatur ut visus misero reddatur; « *visibus integris* » resurgit audax. Judicis ira e gloria

(1) V. Perist. I, 1 et sq. : « *Scripta sunt cælo duorum martyrum vocabula...* » de duobus perobscuris martyribus.

virginis recrudescente, lictor vocatur. Agnes, martyrio inhians et vota effundens trucidatur. Gloriam virginis poeta splendide canit, eamque obsecrat ut mortalibus, poetæque ipsi sit propitia.

(D) Temperati et remissi sermonis, venustæ compositionis, figurarum exquisitarum non sine munditiis quibusdam exemplum est IV Peristephanon qui est *in honorem decem et octo martyrum Cæsaraugustanorum.* Hic sueta ratio a Prudentio deseritur qua narratio producta breve inter procemium et brevem clausulam includebatur. Pictam quasi tabulam hymnus omnis effingit in qua omnes sive Africæ sive Hispaniæ urbes martyrum quæque suorum ossa præfert in canistris composita, cum Deus ad mundi finem « *nube subnixus rubente* » supereminet. Africa Cyprianum, Tarraco Fructuosum, Gerunda Felicem ostentat, Calagurris Emeterium et Chelidonium. Cæsaraugusta decem et octo martyribus gloriatur. Singillatim Vincentium laudibus ornat poeta, peculiari et præconio prosequitur Eucratidem virginem. Ceteros raptim enumerat, quatuor tamen omissis nominibus « *renuente metro* ». Sed angelus, coram Patre et Filio hos in lucem proferet « *urbis unius regimen tenentes jure sepulcri* ». Inter decem et octo martyres duo morti non occubuerunt, de quibus, non inornate Prudentius : « *Ambo gustarunt leviter saporem Martyriorum* » (187).

Is est hymnus qui studium et admirationem moveat, cum figurati carminis et, ut græce dicitur, συμβολικοῦ, non tamen frigide expressi, sed vividi et spirantis speciem det.

(E) Variandi causa materiem, epistolæ sub specie Prudentius XI edidit Peristephanon, cum *Beatissimum Hippolytum* episcopo hispaniensi Valeriano commendaret. Fere totus hymnus narratio est. Hippolyti gestis et morte descriptis, ad Valerianum revertitur Prudentius ut Hippolytum velit suo die, scilicet idibus Augusti mensis, inter solemnes Cypriani Eulaliæque dies rite celebrare hispanorum in ecclesiis. Acer, vehemens, vividis eximia coloribus narratio est. Jussus Deos colere, postquam ore contumaci Hippolytus renuit, supplicio laceratur quo Metius, rege Tullo Hostilio, occubuit. Descriptionis materiem amplissimam non spernit Prudentius, arripit potius, et plus æquo forsan ei indulget. Altera sequitur, scilicet de catacumbarum latebris. Non possum satis admirari hanc carminis partem, nec possum non quod jam dixi iterum dicere ut Prudentius acrior, vehementior, gravior, amplior statim appareat, cum de spectata re et aliquatenus propria materies est, et quasi de fonte genuino carmen manat.

(F) Frigidulus mihi vivetur, etsi gravitate et granditate eximius hymnus de *Cypriano* qui XIII inscribitur. Cypriani primum eloquentia, ingenium, « *sermo ambrosius* » laudantur; post, pauca de juventute, multa de morte, pauca, sed ampla et magnifica (96...), de gloria sancti martyris.

(G) Sunt qui, XII Peristephanon, de *Petro et Paulo,* legentes, « laudem in magnis nominibus languere » meminerint. Non omnino immerito. Dignum tamen hoc carmen est quod curiose introspiciatur. Credas

Prudentium, cum nitescere desperaverit suis in manibus rem tanto per se splendore fulgentem, rem ipsam fere deseruisse, et circa quasi lusisse, scilicet festam Urbem, cum redit solemnis Petri et Pauli dies, describendo, et Petri Paulique monumenta, et quo cultu utrumque prosequi, fovere, ornare deceat. Pauca de Petro primum, pauca dein de Paulo, plura, et curiosa, venusta, elegantia de illius, de hujus tumulo. Juxta Tiberim Petrus jacet, medio in oliveto, cui lympha fugax immurmurat. Parte alia, sinistra in Tiberidis ripa, ædes Pauli surgunt, magnificæ, bracteolis undique distinctæ « *ut sit omnis aurulenta lux intus, ceu jubar sub ortu* ». Columnarum rationem fecit Prudentius quæ sunt « *quaterno ordine* ». Ad hæc succenseret forsan superciliosus noster Bolæus (1). Minus asperum me esse non infitior. Mihi non displicet festivus hic de sanctis martyribus excursus. Decet poetam qui supra, cum catacumbas describeret « militantem ecclesiam » caneret, nunc « triumphantem » celebrare, duos fidei conditores non morientes respiciendo, sed e morte resurgentes, et ovantes. Minuta etiam descriptio, et paululum puerilis non fastidia movet, cum reputemus Prudentium iter Romam fecisse, ut peregrinum *(pilger, pèlerin)* qui pia loca visisse præcipuum itineris fructum crederet. Qui, domum reversus gaudebat et sanctis quos coluerat grates pro impertitis agere, et sanctorum monumenta, tumulos, ædes, per partes onmes pie sibi ex integro fingere, aliis fideliter et exacte, nulla re omissa, describere.

§ III. — *De Peristephanon X (Romanus).*

Hymnus Peristephanon X, qui *Passio Romani martyris* inscribitur, documentum nobis est, eximium et insigne, quo Prudentius perpetuo, per diversa experimenta, tetenderit, scilicet ut epicam hinc, illinc lyricam poesim communi vinculo et quam arctissimo nexu consociaret. Eo meminimus spectare poetam nostrum quosdam Cathemerinon, Peristephanon plerosque cum scriberet (2). In quibus vidimus nostrum poetam paululum, nec parum nonnunquam, a consuetudine lyricorum abhorrere qui fere nunquam narrationem pollere et prævalere sinunt, sed eam ut accessionem quamdam medio operi interjectam produnt, brevique mora interposita, ad propriam materiem operis festinant; contra epos et carmen miscere, ita ut sæpius ambigeres utrum epos stropharum ordinem speciemque præbens, an carmen graviori narratione oneratum versaretur. Non jam in *Romano* ambigendum, cum vere et omnino epos e 1140 versibus constans, continuam narrationem persequens, vix brevi proœmio (e 30 versibus), breviore clausula (e 25 versibus) additis. Ex *Romano* igitur tibi, quod non parvi momenti est, erit dijudicandum non quo pacto lyricam poesim Prudentius, sed quo epicam tractaverit. Quam brevissime potero

(1) « Il compte les plafonds, les ronds et les ovales. » (*Art. poét.*, I, 55.)
(2) Vide supra *Cath.*, V, VI, VII, IX, X; *Perist.*, II, III, V, VI, VII, IX, XI, XIV.

Peristephanon omnem describam. Cum poeta ipse « *tragœdiam* » suum opus nuncupaverit (v. 1113), actus singulos exsequar.

(I) Postquam aptissimo prologo Prudentius martyrem affatus est :

> Largire comptum carmen infantissimo;
> Nam scis et ipse posse mutos eloqui (v. 4)

actum primum aggreditur et acri sermone decertantes Asclepiadem præfectum et Romanum inducit. Talibus invehitur Asclepiades : « *Informe monstrum, vilis, intestabilis...* » Istiusmodi conviciis utrinque exhaustis, martyrem flagellis lacerari jubet præfectus. Cum autem idem sollicite curet ut Romanus, persona nobilis, nobili pœna plectatur, arripit occasionem diaconus ut de contemnendis honoribus prolixe disserat; post in falsa numina conversus, singulos Jovem, Apollinem, Cybelam Ægyptiorum numina, insuper Græcorum artes « *seminandis efficaces erroribus* » increpat. Mox spernendis his fabulis Deum quem colunt Christiani opponit, et quo illum cultu prosequi debeamus demonstrat. Ducentos hujusmodi versus postquam, mire commodus, Asclepiades audiit, ardescens erumpit: « *Ubinam vester erat Deus, cum Urbem Romulus crearet? Pro salute Principis Deos ora, aut morere* ». Romanus se a Deo tantum petiturum ut principum animi mutentur respondet. Cæsaris contempti ultor Asclepiades carnificibus torquendum Romanum tradit. Medios inter sævientium ictus non cessat martyr de vera fide, animæ remediis, immortalitate disserere. Quam ut loquacitatem retundat Asclepiades martyrem ad os verberari jubet. Postquam tortor « *charaxarit ambas unguibus genas* » Romanus nil movetur; tantum, putidius, me judice, de vulneribus jocatus, exclamat :

> Tot ecce laudant (*Deum*) ora quot sunt volnera (v. 570)

Furens Asclepiades parari rogum jubet, qui cum construitur, de Christi divinitate et crucis mysterio Romanus disserit.

(II) Hic est quasi secundus tragædiæ actus, vel ἐπεισοδίον primum. Cum de rebus divinis, in controversiam adductis, minime, ut verisimile est, inter Asclepiadem et Romanum conveniat, et dubitet martyr plura loqui : « æquum est, ait, *simplicem naturalium sensuum sententiam* interrogare : *Septuennem puerum aut minus consulamus.* » Adducitur puer, qui, judex acceptus, ridet et verum Deum esse Christum obtestatur. Cujus et mater confitetur suis édoctum præceptis puerum sic respondisse. Pudore, ira accensus tyrannus edicit ut puer adstante matre torqueatur. Omnibus flentibus circa, mater impavida stat, petentique puero quod bibat sublimiter subjicit : « *est tibi Fons ille vivus præsto qui semper fluit, Æternitatem largiens potantibus.* »

Insuper Bethleem *Innocentes* memorat, Isaacum, Macchabæos. Asclepiades tandem puerum cum matre in carcerem conjicit, rursusque dilacerandum Romanum tortoribus tradit.

(III) Exorditur actus tertius. Rogo Romanus imponitur. Flamma autem

divinitus extinguitur. Vix Romanus dixit « *non passionis hoc genus datum esse sibi et restare ingens quod fiat miraculum* » cum subito « *nimbus undatim nigro Præceps aquarum flumine ignes obruit* » (857...).

(IV) Acriter commotus Asclepiades, tantoque in miraculo anceps, ad silentium saltem cogere martyrem nititur, et postquam paulisper de capite obtruncando deliberavit, linguam præcidi jubet. Cujus supplicii singula quæque minutatim, et, me judice, studiosius poeta describit. Abscissa martyris lingua demum sperabat tyrannus fore ut « *nil in Deorum blateraret dedecus.* » Quæ fides eum delusit. Ut sine lingua oqulamur consequi potest Deus qui hominibus elocutionem dedit : « *Miracula edit Christus,* exclamat martyr; *quod ipse vides, ego loquor.* » Quibus auditis, iram in medicum convertens Asclepiades « *nundinatum hunc arguit.* » Obtestatur medicus; in animalibus experimentum facere paratum se esse dicit. Asclepiades contendit alienum cruorem ex ore et corpore martyris effluxisse. Reclamat indignans Romanus et suum sanguinem contendit non esse taurino similem. Unde declamatio oritur de hoc sacrificii genere quod *taurobolium* nuncupatur, quæ descriptio non sine pretio historicis et antiquitatis investigatoribus est (1009... 1050).

Sequitur de Hecatombis alter excursus.

(V) Ἔξοδος demum fit, nodi vindice Asclepiade ipso. Qui martyris vocem præclusurus novam viam experitur : « *Manus, ait, succedat strangulatrix faucium* ». Exitu demum felix gesta principi refert præfectus, totum ordinem addens, « *seriemque tantæ refert tragœdiæ.* Poeta, cum jam tempus sit equum solvere colla, brevissimam clausulam adjicit, apte quidem accommodatam. Cum enim præfectus « *suum ipse crimen chartulis vivacibus* » retulerit, illas dicit poeta ævo abolitas esse, unam autem exsistere « *paginam immortalem* » quæ « *monumenta servat laudis indelebilis* ». Uno verbo, sibi constans, vates martyris patrocinium sibi desinens expostulat, maxima, ut semper, humilitate.

Hic hymnus est, qui cujuslibet carminis speciem præbet, præter lyrici. Epicum enim apparet satis; insuper præceptivum; nam immanis illa pars prima, quam actum primum vel prologum nominavi, tota est de falsis Diis et vero numime, ita ut primi C. S. libri semen hic quasi insitum facile dignoscas; adde oratorium vel suasorium; nam, cum Romanus tam diserte de taurobolio et hecatombis disputat, neminem fugit retro martyrem recessisse, poetam autem suo nomine pro Christianis adversus gentes vocem tollere. Quemadmodum aliis in carminibus sive ad narrationem, sive ad descriptionem, sive ad doctum excursum erravisse vatem scimus, ita in X Perist. ad omnia quæ non sunt proprie carminis evagatur,

Disserit, eloquitur, *narrat,* docet, instruit prophetat. (*Perist.* XIII, 101)

Ad summam dici potest Perist. X epicum poema esse, suadendi causa compositum, in strophas digestum.

CAPUT QUINTUM

De Prudentii inventione, dispositione, dicendi genere in lyricis.

§ I. — *De inventione apud Prudentium.*

Satis jam palam est quibus ex fontibus rerum copia apud Prudentium manaverit. Per se profluens magis quam vere copiosus, propriam materiem modicam suppeditat, quam alienis adventiciisque opibus supplet et cumulat. Propriæ ejus sunt magnæ, insignes partes, illæ, ni fallor, quæ vere lyricæ sunt, vere poetam sonant et sapiunt, scilicet procemia, clausulæ, ἀποστροφαὶ, preces, adde (ut ecclesiæ sermonem usurpem) *fidei acta*, et spei, et humilitatis, quibus carmina innumeris distinguuntur. Pauca exempla accipe : Hoc est primi Cathemerinon initium :

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit :
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.

quod sane impetu et simplici granditate commendatur. Eadem de secundi Cathemerinon initio dicenda sunt :

Nox et tenebræ et nubila,
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit : discedite.

Cathemerinon noni finem audire libeat cujus amplitudine et majestate maxime me commoveri non infitior :

Macte judex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in parentis arce qui cluis virtutibus,
Omnium venturus inde justus ultor criminum.

Te senes et juventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque, simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.

Fluminum lapsus et undæ, littorum crepidines
Imber, æstus, nix, pruina, silva et aura, nox, dies
Omnibus te concelebrent seculorum seculis. (*Cath.* IX, 104)

Hoc, exempli causa, fidei idem et spei *actum* lege, quo tertius Cathemerinon concluditur, simplex, grave, et quadam, ut Horatiano verbo utar « vi temperata » intentum :

Credo equidem, nec vana fides,
Corpora vivere more animæ :
Nam modo corporeum memini
De Phlegetonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.

Spes eadem mea membra manet,
Quæ, redolentia funereo
Jussa quiescere sarcophago,
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat. (*Cath.* III, 196)

Ecce ἀποστροφῆς exemplum. Postquam Prudentius exsequias defunti descripsit, et vivide e tumulo ad cœlum provocavit, circunstantem et lugentem ad coronam respicit, et vehementer exclamat :

Quid turba superstes inepta
Clangens ululamina miscet,
Cur tam bene condita jura
Luctu dolor arguit amens ?

Jam mæsta quiesce querela,
Lacrimas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat :
Mors hæc reparatio vitæ est. (*Cath.* X, 113)

Nonnunquam grandis sublimisque effigies, paucis verbis expressa, clausulam exsolvit, animumque lectoris quasi in immensum spatium immittit. Postquam quo cultu Eulaliæ tumulum deceat honestari dixit, sobrie et granditer simul addit :

Sic venerarier ossa libet
Ossibus altar et impositum.
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiali favet. (*Perist.* III, 211)

Miraretur lector si hanc merito celeberrimam ἀποστροφὴν omitterem qua Prudentius Bethleem *innocentes* trucidatos affatur, quæ vere venusta et

suavis, nulla imitatione adjuvante, tota ex ingenio et caritate poetæ erumpit :

Salvete, flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas ;

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener
Aram ante ipsam simplices
Palma et corona luditis. (*Cath.* XII, 131) (1)

Hæc est vere propria, genuina, mera Prudentii ars inveniendi. Addendum, credo, quod ad συμβολικὸν genus attinet, quod mihi videtur non per artem exquisitum, sed proprie e Prudentii sensibus constare. Pauca enim, ut jam dixi, hujus generis exempla erant, et vix aperta. Ambrosiani hymni allegoria utuntur, sed raro et parce, ita ut eam interdum potius videre putemus quam videamus (2). Eadem dicenda de S. Hilarii hymnis (sive carminibus quæ Hilarii sub nomine vulgata sunt). Apud Prudentium contra allegoria non obscura, sed expresse in lucem projecta, ampla, pollens. Adde et quasi innata. Prudentii opera assidue legenti apparet allegoriam non artis industriæque instrumentum, sed nihil aliud fuisse poetæ nisi suetam sententiæ rationem et familiarem mentis habitum. Inde Psychomachia omnis, inde Cathemerinon plerique. Quod ad recte intelligendum in memoriam revoca Cathemerinon primum, ubi nox peccatum, mors damnationem significat; Cathemerinon secundum, ubi intelligendus est Christus pectora hominum illustrans, sub diei specie orbem e tenebris eripientis; Cathemerinon quartum ubi Daniel leonibus circum reptantibus describitur, scilicet fidelis animus medias inter dæmonum insidias impavidus et propositi tenax; Peristephanon quartum, ubi dona ferunt Hispaniæ urbes, ossa martyrum in canistris composita : in quibus omnibus tam arcto nexu allegoria cum sensu vincitur, tam apte hæret, ut ægre illam ex hoc semovere possis; unde, credo, colligendum sententiam cum allegoria uno partu, conceptu communi, nulla industria aut artificio adhibito, e poetæ ingenio exortas esse.

De propria Prudentii inventione hactenus. Quæ omnis (præter ingenium innatum) e religiosa fide pendet. Quæ in Prudentio non sincera tantum, sed mirum in modum vigens, acris, incorrupta est. Inde aliud sequitur, quod ad inventionem etiam pertinet, quodque, si ignoscatur, *ficticiam inventionem* nuncupabo. Nempe eximia sunt, ut modo vidimus, apud Prudentium, quæ e pectore ipso poetæ suo impetu eruperint, sed rara. Plerumque hymnus aliunde petitis adminiculis nititur, quæ fere semper

(1) Cf: Malherbe : *Larmes de Saint-Pierre,* strophe 33, v. 187... Quanto frigidierem !
(2) Vide Ambrosii Hymnum I, hymnum IX quos singulariter Prudentius imitatus est, et vide hic supra, cap. III.

exempla et similitudines sunt. Scilicet jejunantium morem poeta si celebrat, Jonas jejunans ecce inducitur, et materiem hymno suppeditat (Cath. VII); si incensum lucernæ, ardens rubus (Cath. V); quam ad rationem innumera referri possunt. Omnia autem exempla hæc e sanctis libris hausta sunt, unde palam est Prudentianæ poesis præcipium fontem Scripturam fuisse. Eam omnem penitus excussit, eam fere omnem in sua opera intrudit; in ea quasi lætatur et exsultat ejus carmen. Ad summam dicendum est Prudentium non parva per se inveniendi facultate præditum, et eum qui, propriis nisus viribus, sententias graves, imagines vividas, vehementem interdum impetum ederet, cum allegorico genere quasi proprio et medullitus hærente usum, tum exemplis alieno ex instrumento petitis, partim genuina partim ficticia carmina composuisse, quorum quædam spirare partes, quædam paululum lnaguescere videntur.

§ II. — *De dispositione apud Prudentium.*

Pauca de disponendi arte apud Prudentium dicenda sunt, cum sit quam usurpavit dispositio sibi fere omnino constans, atque illam jam noverit lector e nostra hymnorum sive Cath. sive Perist. descriptione. Duæ sunt, nec fere quidquid ultra est, Prudentii rationes, quod ad componendum lyricum carmen attinet : scilicet cum hymnum habet tractandum, narrationem inserendam petit; cum jam hymnus per se ex narratione constat (quod plerumque fit in Perist.) orationem narrationi includendam petit. Rationis utriusque una est causa, quod Prudentius docere et « *instruere* » canendo in animo habet. Inde, si canitur, illa quæ supra memoravimus exempla, docendi causa, quærit; si narratur, personæ cujusdam, fere cujuslibet, ore, concionem habet, cui et exempla vulgo inseruntur. Narrationem autem, hymno aptam, vel orationem ad narrationem accommodatam postquam reperit, sive narrationi sive orationi hinc procemium, illinc clausulam addit, quo facto hymnum compositum habet. Excipienda sunt pauca carmina scilicet Cath. VIII (omni laude ceterum cumulandus) qui totus lyricus est, Cath. XI, in quo narratio et carmen tam apte cohærent ut vere lyrici hymni speciem præbeant, Perist. IX (de baptisterio), qui brevior sane est quam ut illi narratio adventicia petatur. Adde, ut jam dixi, Perist. XII (de Petro et Paulo), in quo parvum narratio locum, majorem descriptio obtinet. Cetera carmina ad rationem supra dictam referuntur.

Diversis tamen modis pars epica lyricæ parti jungitur. Plerumque enim Prudentius per excursus narrationes inducit. Ita se res habet vulgo in Cath. Fit tamen haud raro ut epicum genus non jam per excursum aut deverticulum, sed tenore constanti et aperto itinere usurpetur. Sic in Perist. fere omnibus; jam in Cath. IX (de omni hora) ubi omnis Fidei historia, epico more, generatim describitur; prorsus et absolute in Perist. X (de Romano). Est ubi narratio accurate procemio innectatur, seu per

transitum facilem et fere imperceptum, ut in Cath. IV (de jejunantibus):

.... nos tu ....
Confirmas pater ac vigore comples.
Sic olim tua præcluens protestas
Inter raucisonos situm leones
Inlapsis dapibus virum refovit: (*Cath.* IV, 37)

..... sequitur de Daniele excursus;
In Cath. V (de incensu lucernæ):

Sed quis non rapidi luminis...
Manantem... Deo cernat originem?
Moyses nempe Deum spinifera in rubo... (*Cath.* V, 39)

..... sequitur de Moyse et rubo ardenti et ceteris excursus;
In Cath. VI (ante somnum):

.... qui ....
Vitiis cor impiavit,
....
Hoc patriarcha noster,
Sub carceris catena,
Geminis simul ministris
Interpres adprobavit. (*Cath.* VI, 53)

..... sequitur de Josepho excursus;
In Cath. XII (de Epiphania):

Quicumque Christum quæritis
Oculos in altum tollite,
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.
Hoc sidus æternum manet;
....
En Persici ex orbis sinu
....
Cernunt ....
Regale vexillum magi. (*Cath.* XII, 1, 17, 25)

..... sequitur Magorum Bethleem iter;
In Perist. II (Laurentius):

..... Roma ....
Reges superbos viceras
....
Hæc sola deerat gloria
....
Domares ut spurcum Jovem.
....
Armata pugnavit fides

. . . .
Fore hoc sacerdos dixerat
Jam Xystus adfixus cruci,
Laurentium flentem videns :
. . . .
« Præcedo, frater...... »
Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit......... (*Perist.* II, 2, 5, 9, 17, 21, 27, 29)

..... sequitur Laurentii martyrium,
In Perist. V (Vincentius)

Beate martyr.......
Nunc angelorum particeps
Conlucis .... stola
Quam..............
Rivis cruoris laveras;
Cum te satelles idoli
Litare divis gentium
.... cogeret. (*Perist.* V, I, 9, 13)

..... sequitur supplicium martyris. Ita se res habet in plerisque Perist. (vide Perist. VI, IX, X, XI, XIII).

Nonnunquam fit ut aptius proœmio narratio innectatur per ἀποστροφήν, ut in Cath. XI (de nativitate Christi) :

Hic ille natalis dies.
. . . .
Sentisne virgo nobilis
. . . .
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere? (*Cath.* XI, 49, 53, 55)

..... sequitur divini infantis ortus.

Alias narratio brevis operi inseritur quasi in transitu, nec vere moram adhibens, quod proprie est lyrici carminis. Cujus pauca sunt rationis exempla; sunt tamen. Sic in Cath. I (de galli cantu) : post multa ad galli cantum pertinentia :

Quæ vis sit hujus alitis
Salvator ostendit Petro. (*Cath.* I, 49)

..... sequitur de Petri renuntiatione brevis excursus, mox : « *Inde est quod omnes credimus* » (65), et sequitur proprie carmen. Ita se res habet in Cath. X, Perist. XVI.

Aliquando est transitus, sed repentinus et præceps, fere ficticius, magis e verbis quam e sententiis constans. Sic in Cath. VII. Postquam jejunii quæ sint commoda et virtutes descripsit, poeta subito addit :

Elia tali crevit observantia (*Cath.* VII, 26)

quo « *tali* » non arcte, non apte satis excursus operi hæret. Sic in Perist. I :

Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati :
Nobilis per vulnus amplum porta justis panditur,
Lota mens in fonte rubro sede cordis exilit.
Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites quos ad perenne cingulum Christus vocat : (*Perist.* I, 28)

..... sequitur martyris utriusque historia.

Fit etiam, raro equidem, ut nullus transitus sit, repentinaque narratio quasi irrumpat. Sic in Cath. II : postquam enim Prudentius quæ sint, aut debeant esse mane Christiani sententiæ, omnipotentem affatus, precatur :

Tu sancte..................
....
Delicta terge livida. (*Cath.* II, 72)

et continuo addit (versu 73) : « *Sub nocte Jacob cœrula.....* », Jacobique cum angelo pugnam describit. Sic in Cath. III (ante cibum) :

Te, pater optime................
....
Nostra, Deus, canet harmonia.
Quod calet halitus interior,
.... quod ....,
Laus superi Patris esto mihi.
Nos igitur tua, sancte, manus
Cespite composuit madido (*Cath.* III, 86, 90, 91, 95)

..... sequitur Adami et Evæ historia, quæ nullo vinculo, præter *igitur*, tenori hymni jungitur; hoc autem *igitur* maxime improprium mihi videtur, cum nulla sit vel umbra argumentationis.

Unus denique et alter hymnus est ubi sine proœmio vel fere proœmio nullo narratio incipit. Perist. III memoremus et Perist. VII. Addendus Perist. XIV, cujus est initium :

Agnes sepulcrum est Romulea in domo.

..... sequitur sepulcri descriptio. Post (versu 7) : « *Duplex corona est præstita martyri ;* » continuo (versu 10) : « *aiunt jugali vix habilem toro.....* » sequiturque virginis historia.

Quomodo autem narratio hymno inserta clausulæ jungatur si velis exquirere eamdem fere rationem esse palam erit. Est nonnunquam transitus qui visum parum attentum effugit, ita ut gradatim et tacite e narratione ad clausulam lector adducatur. Sic in Perist. II, III, IV, XII, Cath. III. Fit ut clausula ipsa narrativa sit ut in Perist. IX. Interdum clausula adducitur per transitum perite compositum et qui rhetorem paululum sapiat. Sic in

Cath. VI (ante somnum). Nempe postquam Joannis in Apocalypsi somnia memoravit :

Nos nil meremur horum, (*Cath.* VI, 117)
.... :
Sat est quiete dulci (121)

..... addit poeta, qua sententiarum serie ad materiem regreditur. Sic in Cath. VII (vide vers. 196). Nonnunquam poeta clausulam ut argumentationis partem ultimam adducit. Sic in Cath. II (hymno matutino), postquam Jacobi cum angelo decertationem memoravit :

Hæ nos docent imagines... (*Cath.* II, 85)

Vel in Cath. IV (post cibum) :

His, sumptis Danielus excitavit
In cœlum faciem...............
Sic nos muneribus tuis refecti... (*Cath.* IV, 70, 73)

et in Cath. X (ad exsequias defuncti), in quo postquam quomodo pius Tobias visum recepit, addit : Deus

Docuit.... non prius ullum
Celestia cernere regna
Quam nocte et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.
Mors ipsa beatior *inde* est.... (*Cath.* X, 85)

Quam vero syllogisticam clausulam ægre nonnunquam et infeliciter quasit trahit poeta, ut in Cath., quem supra memoramus, quarto.

Nonnunquam nullum, aut fere nullum, transitum reperimus ut in Cath. I (vide v. 73), V (vide v. 137), Perist. X (vide v. 1136), Cath. XII (de Epiphania) ubi postquam Christi victorias per universum orbem enumeravit, continuo addit :

Gaudete, quidquid gentium est. (*Cath.* XII, 201)

Hunc vero notandum est esse transitum per ἀποστροφήν. Cujus transitus ratio (sive per ἀποστροφήν, sive per exclamationem), communis apud Prudentium est, præcipue in Perist. Ita se res habet felicissime in Cath. IX :

Macte judex mortuorum, macte rex viventium. (*Cath.* IX, 106)

Ægre et frigide in Perist. I (versu 118); jucunde in Perist. II (versu 529), Perist. XIII (versu 90), Perist. XIV (126), Peristephanon V (545).

Insuper addendum unum Perist. clausula carere, scilicet VII, qui cum fere a narratione ordiatur, cum narratione absolute finem habet.

Quæ sit operis lyrici apud Prudentium forma ac species satis jam, ut mihi videtur, descriptum est, cum nunc manifestum sit lectori hoc opus,

partim lyricum partim narrativum, alteri nunc, nunc alteri parti majorem locum dedisse, huic vero plerumque multo majorem, alteramque alteri diversis modis, accurate plerumque, raro infeliciter junxisse.

At diximus narrativæ parti sæpe et oratoriam partem insertam esse. Hoc, quod ad Peristephanon tantum attinet, breviter attingamus. Prudentius quin poetæ lyrici gloriam appetierit haud sane dubitandum; ante omnia tamen doctor legis et fidei magister esse voluit. In Cath. autem suo nomine concionem habet et sacra docet; in Peristephanon, qui per se narrationes sunt, ore alieno concionatur, lætusque quod possit non per se, sed per Christi milites, verum gentibus nuntiare, martyres fere omnes oratores facit. Hinc fusæ et fere immanes orationes quibus Peristephanon hymni referti sunt; hinc et, fatendum est, nimia similitudo quæ tædium possit movere. Cum enim oratoris partes martyri cuilibet Prudentius committit, non curat ut oratoria virtus hominis indoli congruat, sed ipse, alieno sub nomine ex cathedra eloquitur, suo semper ingenio, sua natura et indole. Orator autem Prudentius est non satis varius, cui fere (absit verbo invidia) una aut altera tantum orandi ratio fuit in usu, scilicet et objurgatio et amplificatio. Modo enim ad pristinos mores et juvenilia studia reversus « *in jurgia turbidos armat animos* », vincendi pertinacia intentus, acriter et toto armorum pondere in obvium quemquam militat, ita ut, Perist. quosdam cum volvis, sive Hamart. sive C. S. libros adhuc legere videaris. Nempe sententiæ quæ obvia fuit omnem materiem exhaurit, fere sine ordine, saltem non ordine certo et statuto; quin omnia videtur circumspicere, vicina aut longinqua excutere et indagari, ex quibus locus quilibet communis, aut declamationis argumentum exoriatur. Quam occasionem ut arripuit, sine fere fine exspatiatur, quod non nimis severe dictum existimabis si Romani excursum, exempli gratia, de taurobolio et hecatombis memineris. Fit vero ut multo felicius amplificatio apud Prudentium versetur. Interdum enim amplificatio in expressam vivide imaginem vertitur. Recordetur lector in Perist. II locum ubi Laurentius, thesauros ecclesiæ proferre jussus, miseros omnes urbis ante oculos præsidis adducit, hosque vere felices et opulentes demonstrat; divites contra, cum « *peccante nil sit tetrius* » vere leprosos intus, putidos, cicatricibus plenos esse, diemque venire cum « *animabus corrupta forma infligitur* », quam velaverat corpus nitidum curataque cutis. Noster sane Victor Hugo nescit amplificationem suam, maxime quidem probandam, quæ « *Les Malheureux* » inscribitur, hujus loci aptissime ad ordinem accommodatam videri (¹).

Hoc est componendi et distribuendi genus e quo opera constiterunt,

(¹) *Les Contemplations*, II, *les Malheureux* : v. 261. *Ainsi tous les souffrants m'ont apparu splendides...* et sq. — V. 274 : *Où sont les malheureux? Et Dieu m'a dit : regarde :...* et sq. — V. 306 : *Leur visage riant comme un masque est tombé, Et leur pensée, un monstre effroyable et courbé...* et sq. usque ad conclusionem (v. 335) : *Il n'est qu'un malheureux ; c'est le méchant, Seigneur !*

non omni equidem laude cumulanda, nova saltem, et quorum nullum fuerat in latinis litteris exemplum, cum jam Cath. multum, Perist. omnino a more et ratione Horatiana abhorrent. Quos si velis ad notum opus aliquatenus referre, finge hymnos homericos, parte oratoria addita ; vel, quod ad Perist. (qui vere sunt Christianæ ἐπινίκια) attinet, pindaricum carmen, remoto sæpius lyrico impetu, idque quod sæpius « *doleat sermone pedestri* ».

§ III. — *De genere dicendi apud Prudentium.*

De genere dicendi quo Prudentius usus est dicere incipienti hoc primum mihi notandum est, quod velim penitus in animo lectoris hærere, stylo Prudentium plerisque æqualium præstare, et multo ejusdem ætatis Christianos poetas antecellere, ne Paulino Nolano quidem excepto, qui (si non venustate) nervis, lacertis, splendore, amplitudine Prudentio cedit. Quod fere acriter dico, quod vitium est huic meo operi quasi hærens non posse diu in laudibus consistere, quæ, ut dictum est scriptorem optima exemplaria secutum pone fuisse, jam exhaustæ sunt, vitiis contra diligenter et fusius immorari, quæ omnia singillatim exsequenda sunt; unde accidit ut diutina illusus enumeratione culparum, lector ad falsam de universo scriptoris genere sententiam adduci possit. Ne igitur obliviscamur, cum ad vitia, non equidem nulla, Prudentii ventum erit, nostrum nihilominus, dicendi genere eximium plerumque fuisse; vi et robore sermonis, imaginum splendore, eloquentiæ vehementia, copia dicendi non sterili semper aut infelici, granditate verborum, venustate nonnunquam et lepore, non spernendum inter cujuslibet ætatis poetas locum obtinuisse. Quarum virtutum nonnulla passim exempla, opera Prudentii describendo, dedimus. Pauca alia nunc addenda puto. Plura sunt in Hippolyto (Perist. XI), in Cassiano (Perist. IX), quæ sive robore, sive descriptionis elegantia et nitore commendantur. Lætis imaginibus splendescit cerei paschalis accensus (Cath. V):

Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrimis stillat olentibus,
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.

Splendent ergo tuis muneribus, pater,
Flammis mobilibus silicet atria,
Absentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo [1].

[1] *Cath.* V, 16. — Vide insuper quot floribus poeticis duo hymni Jejunantium, Post Jejunium (*Cath.* VII, VIII) luxurient.

In omnibus fere nititur Prudentius lucide non solum eloqui, sed quod poetæ proprium est. sententiam exscribere et pingere. Nonne vides hunc fontem intermisso cursu manantem?

.... nec fluctum semper anhelat. (*Apoth.* 681)

Virginem vestalem, oculis civium objectam, uno verbo superbe indignatur :

.... seque ore retecto
Imputat attonitæ virgo spectabilis Urbi. (*C. S.* II, 1088)

Non te fugit quanta vi suæ fidei tyrannos Prudentius stimularet :

Præfectus, ... spe devorat
Aurum...................... (*Perist.* II, 134)

Consimili imagine Eulalia :

Appetit et bibit ore rogum. (*Perist.* III, 160)

Antitheta et consectatur Prudentius, non infeliciter semper. Id equidem vulgarius mihi videtur :

Et semen ignis inter undas quærere. (*Perist.* X, 865)

sed admirari, me judice, licet :

Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, et fremit voluptas. (*Perist.* VI, 66)

Neque adeo respuas hunc vel hypallages vel ellipsis modum quo sententia corripitur et vigescit :

.... Nonne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias. (*Perist.* X, 248)

Significantia præsertim verba, nervos orationis, affectat, quibus, fateor, nonnunquam accidit ut abutatur. Jam dubius horres, hæc legens de Lazaro redivivo :

.... funereis revolutis rupibus horror
Evomit exsequias gradiente cadavere vivas. (*Apoth.* 726)

Sic, cum *Innocentium* illisa cervix cautibus cerebrum spargit

Oculosque per vulnus vomit. (*Cath.* XII, 120)

Cum Luxuriam describit, acriter horrendam corruptelam et stuporem hebetem describit :

Ac tunc pervigilem ructabat marcida cænam. (*Psych.* 316)

Magis mihi probatur taurus, securi percussus, nutans recepto vulnere, cujus :

Eructat amplum vulnus undam sanguinis
Ferventis........................... (*Perist.* X, 1028)

His tamen *vomere* et *eructare*, significantibus licet, sæpius occurro. Istorum me præsertim tædet in Apotheosi reperientem : « Majestas nati » (Christi scilicet).

Protulit imperium patrio ructata profundo. (*Apoth.* 93)

Animadvertendum, inter cetera, qua cura, quam felici plerumque studio concludere strophen nitatur, ita ut ea extremis verbis et clausula splendidius nitescat et quasi igniculum jaculetur. Pauca sint exempla :

Ambo confessi Dominum steterunt
Acriter contra fremitum latronum;
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum. (*Cath.* IV, 185)

Sic et felicius :

Octo tunc sanctos recolet decemque
Angelus coram patre filioque,
Urbis unius regimen tenentes,
Jure sepulcri. (*Cath.* IV, 173)

Jam vidimus Peristephanon III (de Eulalia) tam vividam, et paucis verbis amplissimam clausulam :

Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc populosque suos
Carmine propitiata fovet. (*Perist.* III, 213)

Non parva contra notanda vitia sunt, quorum maxime manifestum et gravissimum est quod Prudentius sæpius propriam indolem suis heroibus infundit, omnesque fere æque ad Iberæ contumaciæ similitudinem effingit, qua ratione eorum sanctæ speciei potius nescio quid detrahit, quam illos puro et integro, id est suo honore signat. Ultra, me judice, modum, quam et difficile et vanum erat amplificare, constantiam martyrum auxit. Nos saltem, non hispani, non Prudentii æquales, recentiores et forsan degeneres, cum legimus in Vincentio :

Ridebat hæc miles Dei........ (*Perist.* V, 117)

miramur. Sed cum dolet Vincentius :

Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula. (*Perist.* V, 119)

animi incerti hæremus. Cum « *arte dolorum victa* » ut ait feliciter Prudentius, et tortorum languescente robore, Vincentius exclamat :

Age ipse, major carnifex,
Rivosque ferventes bibe ! (*Perist.* V, 148)

hic Lucanum, sive Senecam sub Prudentio, suo cive, latere quis non

agnoscat? Quæ eo magis nos offendunt quod eximiis inseruntur, ut huic descriptioni quæ Virgilium sapit :

Hac inter immotus manet
Tanquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina :
Nam vincla palmas presserant. (*Perist.* V, 233)

Sic in Romano, cum carnifex martyris « *charaxavit ambas unguibus genas* » miles Dei constanter equidem, sed pravo tumore verborum, nec satis ampullis projectis, exclamat :

Grates tibi, o præfecte, magnas debeo,
Quod multa pandens ora jam Christum loquor;
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei. (*Perist.* X, 562)

Quo reperto adeo Prudentius delectatur ut in hoc immoretur amplificando et in hæc ambitiosa putidius erumpat :

Tot ecce laudant ora quot sunt vulnera. (570)

Hæc sunt turgentis et ebullientis, ut Cicero ait, vitia. Alia sunt, quæ magna ex parte, generi ipsi tribuenda et assignanda sunt, notanda tamen. Non nos fugit theologice et quasi e cathedra Prudentium plerumque concionari. Inde fit ut oratione soluta crebro eloquatur, et carmen interdum videatur « nisi quod pede certo differt sermoni, sermo merus. » Hoc in Apotheosi, vel in Psychomachia cum accidit, nil mirum. Utatur poeta verbis propriis et dominantibus, quæ theologiam et dialecticam redoleant, atque ideo stylus paululum repat, non id iniquo feram animo, quod in talibus argumentis fere necessarium est. Alia vero requirit lyrica poesis, et imprimis motum, spiritum, varietatem. Prudentius autem, vel in hymnis (in Perist. præsertim), cum, utpote fidei diligens assertor, in hoc incumbat, ut præcepta fidelium animis hæsura diffundat, pedetentim procedit, viam tentat, cautissimus docet, ne, petulantibus verbis doctrinam excedens, eam in latentes insidias detorqueat. Inde poeta, quemadmodum, fidei impetu intentus, musam ad sublimia provexit vel inania interdum captaturam, sic et fidei docendæ diligentia captus, in angustias musam non semel immisit, unde « *referre pedem* jam *lex operis vetabat.* »

Aliud vitium est quod nostratem lectorem acrius offendit et cui, fateor, minus facile est ignoscere. Nempe sæpius Prudentius juventutis memor « *male pertinacis* », turpiter probrosus deprehenditur cum in fidei hostes invehitur. Exempli causa Peristephanon X (v. 185) videre licet, et C. S. I (v. 157), nimis multa alia. Inde, quod vituperabilius, interdum veræ sordes, quarum multa quidem dederunt exempla latinæ litteræ, quæ vero minime Christianum decent, vel de gentibus loquentem. Vide Apoth. 595, Perist. X, 305, Perist. II, 281, Psych. 315, Hamartig. 466, Apoth. 97, 719, Psych. 720, alias.

Ludit interdum et jocatur Prudentius, non semper opportune, non semper urbane. Cum Eulalia « *juncea pectora* » dilaceratur, exclamat lepidius quam ut nos moveat et facetius quam pro tempore :

Scriberis ecce mihi, Domine;
Quam juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropæa notant!
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti (1).

Amabiliter quidem ludit et subridet, Romani exordiens hymnum :

Largire comptum carmen infantissimo;
Nam scis et ipse posse mutos eloqui. (*Perist.* X, 3, 5)

Sed plus æquo cachinnatur, cum martyr idem sic naïades deridet :

Nymphas natantes incolasque aquatiles,
Sitas sub alto, more ranarum, lacu. (*Perist.* X, 243)

Sunt istiusmodi plura, adeo ut (nefas) duplici significatione verborum abutatur hoc loco, paulo, fateor, obscurius ut recte me intelligere confidam : scilicet Vincentius ita principem affatur :

Tute ipse qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum sordes colis,
Morbo laboras regio (2).

Si ad minora veneris, interdum offendi poteris nimia et superfluenti copia verborum, quæ plerumque longa serie synonymorum luxuriat. Sic in Peristephanon X :

Cœlum solumque, vim marini gurgitis,
Globos dierum noctiumque præsides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, hesperos, æstus, nives
Fontes, pruinas et metalla et flumina :
Prærupta, plana montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles
Jumenta, pecua, subjugales belluas,
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ sunt odori, quæque vernant esui. (*Perist.* X, 326)

gravem et onerosam verborum exaggerationem ægre patimur. Alias synonyma fere temere congesta respuimus, quæ rhetorem et, ut ait Bolæus

(1) *Perist.* III, 136. — Nonne mire congruunt inter se ambo hispani auctores Prudentius hinc, illinc Guillem de Castro?

(2) *Perist.* II, 264. — Id est icterico (cf. *Horat.* A. P. 453), quia aurum ubique videbat, etsi nullum erat (cf. supra vers. 49 et sq.)? Nescio, nec forsan scriptor tam accurate ipse quæsiit quam ego.

noster « *declamatorem verborum amantem* » redolent (Perist. X, 345). Prudentius ceterum synonyma curiose undique petiisse videtur, quasi glossario incumberet. Unius vocabuli diversæ apud eum species et fere innumeræ, quasi ex industria collectæ, reperiuntur. Vide, exempli causa : « *cruciamina* » (Cath. X, 90), « *cruciatus* » (Apoth. 70), « *discruciatus* » (Hamart. 834), « *excruciatus* » (Perist. XIV, 19). Sic *figmen, figmentum; peccamen, peccamentum; piamen, piaculum*, alia multa; quod ad adjectiva nomina attinet : « *terrenus, terrestris, terreus, terrulentus* » (Apoth. 46; Ham. 384; Apoth. 505; Ham. præf. 5; Perist. II, 195); « *carneus, carnalis, carnulentus* » (Apoth. 370, 982; Perist. X, 372); « *niveus, nivalis, ninguidus* » (Perist. XIII, 78; Symm. II, 250; Cath. V, 97; Apoth. 661; Perist. II, 540); « *omnipotens, omnipollens, cunctipotens* » (C. S. II, 364; Ham. præf. 19; Perist. VII, 56); « *carcereus, carcerealis, salutifer, salutiger, occiduus, occidualis* », alia permulta.

Adde aliud, parvi momenti. « *Res maximam partem novam,* ut Kantecki » ait ([1]), tractans, eorum instar qui per avios montes incedunt, plenum » laboris opus, proprio marte viam sibi aperiendam suscepit, qua re fac- » tum est ut, quamquam sæpius, in reddendis Christianis sententiis » paganorum adhibeat elocutiones. » Sic infernum diversis nominibus signat et paganorum sermone petitis, scilicet Stygem, stagna acherontica, Phlegetonta :

Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ
Illa nocte sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis. (*Cath.* V, 125)

Credo . . . .
De Phlegetonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum. (*Cath.* IV, 199)

. . . . Tænara tristia . . . . . (*Apoth.* 749)

Minoris momenti quædam ad dicendi genus pertinentia adjicio : Agnominationem plus æquo, si æquum unquam est diligere, diligit, antiquos latinos scriptores (Lucretium, Plautum, alios) imitatus. Sic, Apoth. 269 : « *non genitus genitor generavit* » ; Apoth. 580 : » *Credidit atque ideo concepit credula Christum* » ; Ham. 714 : « *suadelis illectam suasisse* » ; C. S. I, 17 : « *putri de pure peresam* » ; Psych. præf. 10 : « *suasit suumque suasor exemplum dedit* » ; Apoth. 368 : « *Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens* » . (Cf. ceteros hujus ætatis aut antecedentis poetas sive christianos seu ethnicos : Anonymum qui *Didonis ad Æneam epistolam* fecit, Optatianum, alios.)

Æque, vel magis, allitterationem quærit. Vide Apoth. 241 : « *Natum nosse*

([1]) *De Aurelii Prudentii Clementis genere dicendi Quæstiones* auctore Ant. Erasmo Kantecki, Monasterii (1874).

Deum : nunquam nisi sanctus et unus »; Apoth. 391 : « *Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum* »; Apoth. 969 : « *Qui testis sibi sit seque ac sua carnea norit* »; Psych. 770 : « *Pax belli exacti pretium est pretiumque pericli* »; C. S. I, 12 : « *Si vobis vel parta viri victoria cordi est* »; Perist. IX, 62 : « *Sævire solis scit dolorum spiculis* »; Apoth. 924, 925 : « *Inde secunda redit generatio et inde levatur Naturæ inluries iterumque renascimur intus* »; Ham. præf. 53 : « *fraude floret fertili* »; C. S. I, 398 : « *colles, freta, flumina, flammas* »; Perist. X, 381 et 382 : « *Supplicare stipiti Verris cruore scripta saxa spargere* », alia.

Artificiose versum sæpissime componit, qui fuit, ut constat, mos nunquam in litteris latinis obsoletus. Vide : Apoth. 307 et 308 : « *solus Non erat, atque Deo Deus adsistebat oranti, Cum Dominus faceret Domini sub imagine plasma* »; Perist. VIII, 18 : « *Erectus gladiis alter et alter aquis* »; C. S. II, 909 : « *Nec currunt pariter capta et capienda voluptas* »; Perist. X, 436 : « *Pupilla carnis crassa crassum perspicit* »; Perist. X, 673 : « *Unum esse oportet, et quod uni, est unicum* »; Apoth. 539 : « *Quem video, Deus ipse, Dei certissima proles* »; Apoth. 587 : « *Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat* »; Cath. IX, 106 : « *Macte judex mortuorum, macte rex viventium* »; Psych. 769 : « *Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum, Pax belle exacti pretium, pretiumque pericli* »; multa alia.

Quæ quantumvis magna vitia sint, meminerimus quot et quantis dotibus Prudentii sermo commendetur, qui, fere solus ex illius ætatis Christianis poetis et sinceris et integris fontibus, Lucretio, Virgilio, Horatio, ut jam demonstravimus (cap. tertio) poeticum suum sermonem hauserit, quique ipse per se, tot vividas imagines, eximias sententias, orationes, partim saltem vehementes, grandes, acres, sublimes, municipalis homo et umbratili usus vita, deficientibus vicinis exemplaribus, ediderit.

CAPUT SEXTUM

De lingua poetica apud Prudentium.

Non sane mirandum est quod, quatuor seculis effluxis, Horatii Virgiliique ingenio poesis exculta paulum immutata pervenerit ad Prudentii ætatem. Minus et mirari decet quod poeta christianus de christianis rebus locutus, non sincero optimæ ætatis sermone usus fuerit. Quibus angustiis hæreat noster, cum repugnante aut deficiente sermone, argumenti cujusdam novitatem tractatam nitescere posse fere desperat, ex hoc intelligere possis. In *Psychomachia* virtutes et vitia congredi, ut te non fugit, poeta fingit, et specie velut Amazonarum induta, manus conserere. Bellantes vero ne propriis quidem nominibus appellare valet, et periphrasi quæ vix ridiculum effugiat, implicatur. Scilicet « *Veterum-Cultura-Deorum* » infensis armis irruit, cujus viraginis nomen stupere tibi licet. Latine verbum « Humilitas » non Christianam virtutem significat quam hoc nomine vulgo vocitamus. Parvi tamen refert. Os humanum *Humilitas* induat; non ægre fero, veniamque poetæ libens concedo. At, cum, lege carminis repugnante, non ipsa Humilitas sub armis apparet, sed ejus vice fungitur « *Mens humilis* » novam abstractionem, quæ alteram supplet, animus fastidit legentis. Sic ecce surgit, nova Camilla, *Sobrietas*. Quam « *cum versu dicere non sit* » ad mirum quoddam periphrasis genus poeta confugit, et eam nominat « *quam memorant frugi.* » (Psych. 564). Haud ægre tibi fingere potes quam in prœliis personam gerat, et quam alacri feratur impetu hoc nomine gravescens bellatrix. Sed, ne in communibus immorer, ad singula exsequenda jam festino.

§ I. — *De Syntaxi apud Prudentium.*

Ordinatio et constructio verborum qua Prudentius usus est plerumque longe rectior, sincerior emendatior est quam apud omnes christianos ejusdem ætatis poetas. Si vel paululum conferas cum Prudentianis ea quæ sub nominibus Ambrosii, Damasi, Hilarii nobis tradita sunt, tibi plane manifestum erit incubuisse maximo Prudentium studio ut optimi seculi

sermonem repararet, Virgiliique et Horatii linguam ex integro, quam accuratissime posset, restitueret. Quod uno signo experiri tibi licet: 12,000 circiter Prudentii versus legenti tibi vix unus et alter manifestus solœcismus occurret, quem numerum decemplicatum utinam quisque ceterorum tantum attigerit. Quo dicto, quod legenti suadeo ut posthac meminisse nitatur, mendas vel ea quæ extra normam versantur apud Prudentium recognosco.

Sunt, ut dixi, solœcismi, perrari, « maculæ quas incuria fudit ». In Hamartigenia, Prudentius hæreticum quemdam allocutus : « Esse, ait, duos Deos contendis, malum alterum... *ast* ALII *pietatis amor* » (H. 120). — *Alii* pro *alteri*.

In Psych. (785) : « QUISQUE *litare Deo mactatis vult holocaustis...* »

Hujus *quisque* pro *quisquis* exempla quidem ([1]) sed non Horatiana, nec Virgiliana offeruntur.

Jam miror Propertium dixisse : « tibi curarum millia quanta dabit » (I, 5, 10). At minus Prudentio parco pro talibus ausis :

> *Quantos* quæque ferat fructus provincia....
> Indicio est annona.................. (*C. S.* 951, 953)
> Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
> Nosse licet............................ (*P.* XI, 11)

Palam est, cum de martyribus in catacumbis congestis, non de bello giganteo, res sit, *quanta* pro *quot* improprie usurpatum esse.

Videtur etiam conjunctionum vim Prudentius interdum oblivisci : non semel enim ita loquitur :

> Furor*ne* summus, ultima et dementia est
> Deos putare qui creantur nuptiis. (*P.* X, 376)

Nonne, vel obstantibus quibusdam exemplis ([2]) mihi videtur necessarium.

Sunt etiam, sed non Virgiliana, quæ tueantur *velut* pro *quasi* ([3]). Quæ prave Prudentius imitatus est :

> *Velut* retortis intuens obtutibus
> Avertat ora de litantis hostia. (*P.* X, 288)

Insuper minus curare Prudentium credideris ut *verborum* tempora congruant, si quidem ita periclitatur : « *Hic draco perfidus indocile Virginis inlicit ingenium, Ut socium malesuada virum Mandere* COGERET *ex vetitis* » (Cath. III); et inferius : « *Tegmina suta parant foliis, Dedecus ut pudor occuleret* » (Cath. III, 19).

Hoc insuper vitio laborat Prudentius, quo plerique tertii et quarti seculi

([1]) Plautus. Miles glorios, II, 2, 5; Sid. Ep. IV, 11.
([2]) Plautus. Amph. I, 3, 11 : *Satin habes si feminarum nulla 'st quam æque diligam ?*
([3]) Tibull. I, 6, 25. *Sæpe velut gemmas ejus signumque probarem...*; Ovid. Met. IV, 596.

poetæ, quod, quasi patrio sermoni diffidant, novo quodam et singulari præpositionum usu sermonem suum onerant. Quæ præpositio *verbo* vel adjectivo nomina subjecta conjungit vinculo quidem inutili, cum solo declinationis casu, cuncta fere apud latinos plerumque aptissime connectantur. Sed quod satis est Italiæ cultioribus ingeniis et naris acutioris hominibus, hoc inopia et defectu laborare agrestioribus populis videtur, qui minus indiscretum et manifestiorem nexum requirunt. Non implicito sensu, sed exstante et peculiari copula quasi oculis omnia subjici jubent. Quæ causa fuit cur lingua latina in præceps ceciderit, cum hæc verborum firma et apta compages, inani præpositionum adjunctione dissoluta, corruit. Cujus inclinationis participem, virili pro parte, non nego fuisse Prudentium, qui ipse non semel inutili, non solum inani, præpositione syntaxim suorum verborum premit. Accipe exempla de præpositione *Sub* improprie usurpata :

.... Bellique rudes *sub* fœdere falso. (*Ham.* 426)
Mammomeamque fidem pacis *sub* amore sequuntur. (*Ham.* 428)
Pulchra res ictum *sub* ense persecutoris pati. (*Perist.* I, 28)

Nigrante *sub* velamine
Obducta clarum non videt. (*Perist.* II, 379)

Stupuit tyrannus *sub* pudore fluctuans. (*Perist.* X, 676)

Dubitabile pectus....................
Sub titubante fide, refugo contemnit honore. (*Apoth.* 580)

Permeare *sub* bifido æquore. (*Cath.* V, 68)
Si Virtus *sub* pace cadit..... (*Psych.* 699)
Vanescit almo trita *sub* jejunio. (*Cath.* VIII, 209)

Alia sunt [1]. Sic de præpositione *ad*. Hoc est exemplum, perobscurum quidem :

Ne [*stagna*] sulcos operire vadis, neve arida possint
Ægypti per plana trahi glebasque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis. (*C. S.* II, 933) [2]

Sic de præpositione *per* :

.... *Per* cachinnos solveris. (*Per.* X, 226)

*Per*que coagula densa liquor
In solidum coit............ (*Cath.* III, 69)

Sic de præpositione *ab* :

Ast hic metenda dedicat genitalia
Numen reciso mitigans *ab* inguine (*Perist.* X, 1066)

[1] Vide Kautecki, *De P. genere dicendi quæstiones.*
[2] Codex unus fert : « adpingue solum » (Vide Dressel, Editionem, p. 290). Legere velim *ac*. (C. S. in Puteano deest.)

..... plenis fraudat *ab* exsequiis. (*Perist.* XI, 146)
..... ne propria vacet angulus ullus *ab* umbra. (*C. S.* II, 449)

Qui autem *vacare* non videtur *ab* requirere nisi personam habet partem subjectivam (« vacant ab opere milites » Cæsar dixit : hic distantia significatur; « vacare a publico officio » Cic. dixit eodem sensu) et raro. Hoc tamen Cæsaris exemplo Prudentius defenditur : « Hæc a custodiis classium loca maxime vacabant » ([1]).

Sic de præpositione *Ex :*

Ipsa, illas animæ exuvias quæ continet intus,
Ædicula argento fulgurat *ex* solido ([2]).

Sic de præpositione *de :*

Sola superstes agit *de* corpore....... (*Perist.* XIII, 5)
Nunc temperetur dentium *de* pectine. (*Perist.* X, 934)
Vena animi sola fervet *de* lampade Christi. (*Psych.* 57)

Ab Erasmo Roterodamo quæstio instituta est ([3]) de usu conjunctionis *quamlibet* apud Prudentium, quæ et a Kantecki tractata est : « Recte docet Valla, ait Erasmus, *quamquam* et *quamvis* solere præponi in oratione quæ constat duobus partibus, sic : *quamquam alienus es, tamen te ut Christianum amo. Quamvis dives sis non ideo jus habes in me.* Contra fit in *quamlibet* quæ proprium verbum non habet, sed subjicitur, sic tamen ut oratio possit in geminam resolvi, sic : *Non enim pili facit te quamlibet divitem,* vel *quamvis divitem;* nam quamvis utramque naturam obtinet. » Non immerito Kautecki regulam ab Erasmo institutam in dubio ponit, nec, me judice, satis adversatur. Dicit enim *quamlibet* cum proprio verbo legi apud Quintilianum (« *quamlibet parum sit* » — Inst. I, 1, 18). Addere potuisset : « *Quamlibet esto Unica res* (Lucr. II, 541). Vera non hæc quætio, verum utrum Prudentius *quamlibet* sincero sensu usurpaverit (gallice *quelque.... que,* teutonice *welcher*) an *quamlibet* pro *quamvis,* more scriptorum infimæ latinitatis, scripserit. Noster autem plerumque *quamlibet* pro *quamvis* scribit. Accipe exempla :

Quamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Teque contemptis epulis rogemus
Nocte dieque,
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus genitoris æquat. (*Cath.* VIII, 53)

Hic, fateor, dubitare licet. Nam *quamlibet,* solito sensu intellectus, cum *spreto* conjungi potest. Nota tamen *quamlibet* idem et cum *rogemus* con-

([1]) Vide Madvig gramm. lat. § 261; Freund Dict. ad verb. *vaco.*
([2]) Unus codex (vide Dressel) dat *et,* non contextui congruenter.
([3]) Commentarii ad *Cath.* XI, 8, 17.

textu, velit nolit, conjungi, cum quo conjungi non potest nisi si pro *quamvis* sit. Ecce exempla alia :

Ex ore quamlibet Patris
Sic ortus et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius. (*Cath.* XI, 17)

Quamlibet pro *quamvis* non dubie.

Quamlibet illustres meritis et sanguine clari
Præmia virtutum titulis et honoribus aucti
Ardua rettulerint,......................
Attamen............................ (*C. S.* I, 393)
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus,
Attamen............................ (*Perist.* XI, 164)

Unum locum reperio ubi solito sensu *quamlibet* Prudentius usurpaverit; ceterum illud cum proprio verbo conjungit, Quintiliani Lucretiique instar :

Spem capio fore quidquid ago veniabile apud te
Quamlibet indignum venia faciamque loquarque. (*Ham.* 936) (1).

§ II. — *De verbo substantivo. — De substantivis novatis.*

Duæ res apud Prudentium vel tantum volventi libros statim occurrunt, scilicet quot novis vocabulis, quot et ἀρχαισμοῖς utatur. Duæ causæ sunt, diversæ. Quod ad nova vocabula attinet causa est nulla nisi ipsa necessitas. Cum enim et nunquam antea tractatas et arduas abstrusasque res tractaret *indiciis monstrare recentibus abdita rerum* sæpe coactus fuit. Quod duplici ratione efficit : nunc, omnium latinorum instar qui res novas tractaverunt, ad *græcum fontem* respicit, nunc latina ex latino fonte satis imperite detorquet. Substantivorum e græco sermone petitorum hæc sunt exempla : « *Amen* (Cath. IV, 72); *Allophylus* (Ham. 500, Ditt. 71); *Azymon* (Apoth. 353); *Blasphemium* (Psych. 715); *blasphemus* (Ham. 2, Apoth. 16, 772, Perist. I, 75, Ditt. 157); *bravium* (Perist. V, 538); *bruchus* (Ham. 228); *Halleluia* (Cath. IV, 72); *Hamartigenia; Idolatris* (Ham. 404); *Mammoneus* (Ham. 428); *Mastigophorus* (C. S. II, 517); *Melodus* (Cath. IX, 12, — quod apud Ausonium legitur epgr. 16); *mysteriarches* (*Perist.* II, 350); *Peristephanon; Pleurisis* (Perist. X, 485); *Psychomachia; Rompheatis* (Cath, VII, 93); *Sphragitis* (Perist. X, 1076); *Blasphemare* (Apoth. 347); *Charaxare*

(1) Adde locutionem minus mendosam, parum tamen commendabilem, *studiosus* cum dativo : *Cæsaraugusta studiosa Christo.* (*Perist.* IV, 54.) Sic ferunt codices permulti, inter quos Puteanus. (Ceterum vide Dressel qui *Christi* legit). — Cf. Plaut. Miles glor. III, 1, 20 : « *Qui nisit adulterio studiosus rei nullæ aliæ est.* »

(Perist. X, 557); *Hymnire* (Perist, I, 118); *Stigmare* (Perist. X, 1080). » [1]

Inveniuntur duæ voces hybridæ, ex græcis et latinis vocabulis constantes: « *Paradisicola* » (Ham. 928); *Primoplastus* (Cath. IX. 17). [2]

Quod ad substantiva novata quæ e fonte latino detorta sunt, ecce exempla :

Sunt quæ conjunctione facta sunt : « *Christicola* (Cath. III, 56, VIII, 80, X, 57; Apoth. 485; Pysch, 13, 96, 526; C. S. I præf. 70, C. S, I, 481, C. S. II, 1003; Perist. III, 28, 72, VI, 25, XI, 39, 80, XIII, 82); *Christigena* (Ham. 787); *Nilicola* (Pscyh. 655 C. S. II, 494); *Nocticola* (Ham. 634); *Omnipotentia* (C. S. II præf. 26. Apud Macrob. reperitur Sat. V, 16); *Tibricolà* (Perist. XI, 174); *Verbigena* (Cath. XI, 18. Cath. III, 20); *Vexillifera* (Psych. 419); *Crucifer* (Cath. III, 1); *legifer* (Perist. II, 363 pro substantivo, usurpatus); *Cunctiparens* (Perist. XIV, 128); *Lucisator* (Cath. III, 1); *Omnipater* (Perist. III, 70); *Unicultor* (Perist. XIII, 90).

Sunt quæ sine conjunctione, per inclinatum a Prudentio facta sunt : « *Anulla* (Per. VI, 149); *Cunulæ* (Cath. XI, 98); *Defuga* (Per. I, 42); *Duita* (Ham. præf. 37); *Marcionita* (Ham. 129); *Levita* (Perist. II, 39, V, 30, VI, 3, 15); *Levites* (Perist. V, 145. Sidon, ep. IX, 2); *Pusiola* (Perist. III, 20); *Sodomita* (Apoth. 316) [3]; *Ciniscuculus* (Cath. X, 143), *Deliquium* (Ham. 751); *Lembulus* (Perist. V, 455); *Tutaculum* (C. S. II, 388); *Depositor* (Apoth. 179); *Dissipator* (Psych. præf. 34); *Dissertator* (Apoth. 782); *Emancipator* (Cath. VII, 184); *Inchoator* (Ham. præf. 27); *Incitator* (Perist. X, 67); *Infusor* (Cath. IV, 11); *Lancinator* (Perist. X, 1057); *Penetrator* (Ham. 875); *Perdomitor* (Cath. IV, 12); *Profanator* (Apoth. 178); *Supplicator* (Perist. I, 14); *Trajector* (Ham. 875); *Calcatrix* (Psych. 587); *Donatrix* (Perist. XI, 171); *Inficiatrix* (Psych. 630); *Ostentatrix* (Psych. 439); *Pugnatrix* (Psych. 681); *Prænunciatrix* (Perist. II, 30); *Redemtrix* (*Perist.* X, 774); *Strangulatrix* (Perist. X, 1103); *Creamen* (Ham, 505); *Cruciamen* (Cath. X, 90); *Figmen* (Apoth. 798, 1034); *Religamen* (Psych. 359); *Sinuamen* (Psych. 871, Perist. VII, 34); *Speculamen* (Apoth. 20); *Spurcamen* (Cath. IX, 56); *Ululamen* (Cath. X, 114); *Vegetamen* (Ham. 75, 829, 871); *Fundamen* (Ps. 825); *Hortamen* (Cath. IX, 92). »

Interdum substantiva nomina usurpat Prudentius inusitatam iis terminationem addens, plerumque cum de urbium, vel Deorum Dearumque nominibus agitur. Sic : « *Ana* (pro Anas, amnis Hispaniæ nunc Guardiana dictus) (Perist. III, 188); *Arelas* (urbs Galliæ Narbonensis, pro Arelate. Cf : Aus. Clar. Urb. 8, — 2 Perist. IV, 35); *Synnæ* (urbs Phrygiæ pro Synnada — C. S. II. 247); *Saguntus* (pro Saguntum — Perist. IV, 100); *Tarentus* (pro Tarentum — C. S. II, 748); *Thybris* (pro Tiberis vel Tibris vel Tybris — Perist. XII, 29); *Garamans* (pro Garamas — C. S. II, 809); *Gorgona* (pro

[1] Vide Kantecki. *Prudentii de genere dicendi quæstiones.*

[2] Id. *ibid.*

[3] Vide infra ad adjectiva : *Sodomita libido, Sodomita cinis.*

Gorgo, pessime) (Perist. X, 278); *Gergesei* (pro Gergesini [γεργεσηνοὶ] Ham. 413); *Larentina* (pro Larentia) (C. S. II, 563); *Abessalon* (pro vulgato Absalon, sed græco more ἀβεσσάλωμ) (Ham. 563); *Sterculum* (deum Stercoris, pro Sterculium, Stercenium) (Perist, II, 449); *Samnitis* (pro Sammis) (C. S. II, 516, Per. XI, 207).» (¹)

Adde : « *Cometa* (pro Cometes — *Cometa* scribit Seneca, Oct. 232; scribit item Man. I, 824) (Cath. II 29); *Cuna, æ* (sing. pro *cunæ, arum*) (Ditt. 112); *audientia* (audiendi facultas) (Per. X, 954); *Jugulus* (pro jugulum, ut Plin. maj. II, 43, 98) (Perist. III, 151, X, 64); *Ambago* (pro ambages, ut Manil. III, 303) (C. S. II, 893, 847), *Indages* (pro indago, ut Claud. Mamert. *Stat.* II, 2) (C. S. II, 846); *Calthum* (pro caltha) (Cath. V, 114); *Margaritum* (pro margarita) (Psych. 873); *Sues* (pro sus) (C. S. II, 814); *Virginal* (pro virginale) (Périst. XIV, 8) (²).

Quæ sequuntur voces vulgo in *es* desinentes Prudentius, sive metri, sive libidinis causa, in *is* corripit : « *Cautis* (Perist. X, 701); *Luis* (Psych. 508, Ham. 249); *Pubis;* (Perist. XI, 190, Cath. VII, 162); *Prolis* (Perist. X, 840); *Famis* (Psych. 479); Joannis (Cath. V, 108). Vocem *Stips* una auxit syllaba ut fieret *stipis* (C. S. II, 911).

[Weitzius in editione sua ad Psych. præf. v. 36 emendavit *prosapiem* pro *prosapiam* quod omnes ferunt codices, inter quos Puteanus].

Adde ad substantiva novata : « *Sensa* » quod cum suis æqualibus pro *sensus, cogitata* Prudentius scribit (Cf. Quintil. Inst. VIII, 5, 1, Cic. de Orat. I, 8, 32); « *Portitor* » quod pro bajulo habet (ut Claudianus Epig. 49, 17; Codex Justin. 11, 4, 1; Sidon. Ep. 6, 3); « *Amasio* » (Cf : Appul. Met. 7); « *Discretio* » (Cf : Lactant. VII, 12); « *Passio* » (Cf. S. Aug. Civ. Dei IX, 4); «*Scandalum* » (Cf. Tertull. De Virg. vel. 3); « *Mediator* » (Cf. Lactant. IV, 25, 8); « *Congrex* » (reperitur apud Auson. ep. X, 20; Tertull. de Pæn. 11); « *Segrex* » (Cf. Senecam, de Benef. IV, 18).

§ III. — *De Nomine substantivo.* — De ἀρχαισμοῖς.

Constare te non fugit ut apud nos ita apud Romanos duas simul viguisse linguas, litterariam scilicet alteram et patriciam, alteram communem et popularem, et Romanos vel in foro Plautino more potius quam Ciceroniano locutos esse. Alia enim leviora et expeditiora requirit usus civilis et sermo quotidianus, alia poesis, eloquentia. Unde colligere licet *patavitatem* quamdam in provinciis extitisse, cujus gratia exaudita cinctutis Cethegis vocabula diu in Hispania, Africa, alias valuerunt. Sic apud Prundentium reperiuntur quæ, cum nova, quod desueta, videantur, tamen invenire est apud antiquæ Romæ scriptores (apud Plantum imprimis).

(¹) Cf. : Kantecki, de Pr. dicendi genere quæstiones.

(²) Scribit *Cybebe*, rectius equidem quam Cybele. Cf : Virg. Æn. X, 220, Prop. III, 17, 35 et alias.

Accipe exempla :

« *Aquaï* (Apoth. 702); *Impete* (Apoth. 65); *Pecua* (Perist. X, 333); *Simplus* (Cf. Plaut. Poen, 5, 6, 25, Cic. Top. 11, 49); *Legirupa* (Ham. 238. — Cf. Plaut. Pseud. 1, 3, 130, Rudens 3, 2, 38); *Induperator* (C. S. I, 147. — Cf. Ennium, Ann. I, 100); *Obsequella* (Cath. VIII, 51, VIII, 19 — Cf. Plaut. Asinar. I, 1, 50); *Ænipes* (C. S. I, 361 — Cf. Ovid. Heroïd. V, 32); *Arula* (C. S. I, 257 — Cf. Cic. In Verr. IV, 3, 5). » (Vide infra § V not. 2).

§ IV. — *De Nomine adjectivo. — De Novatis.*

Adjectiva ex conjunctione facta sunt : « *Aristifer* (Cath. III, 52); *Aurifluus* (C. S. II, 605); *Bifestus* (Perist. XII, 65); *Coæternus* (Apoth. 795); *Centifidus* (C. S. II, 890); *Columnifer* (Perist. III, 52); *Comperpetuus* (Apoth. 271); *Confluus* (Cath. V, 76); *Dilancinatus* (Perist. V, 156); *Dulcimodus* (Psych. 664); *Falcificatus* (Ham. 549); *Flammicomus* (Psych. 775); *Frondicomus* (Cath. III, 102); *Incomprensus* (Apoth. 802); *Incorporatus* (Cath. XII, 80); *Insubjectus* (Ham. 699); *Irremotus* (Perist. V, 408); *Obstrangulatus* (Cat. VII, 10); *Præliber* (Apoth. 87); *Præsiccus* (Perist. V, 141); *quadrifluus* (Cath. VII, 175); *saxigenus* (Cath. V, 7); *sanctiloquus* (Apoth, 1001); *Semeter* (Psych. 829); *Semicombustus* (Perist. X, 859); *Spiniger* (Perist. XI, 120); *Subtacitus* (Ham. 174); *Subternus* (Ham. 922); *Tabifluus* (Apoth. 891); *Tripictus* (Apoth. 381); *Urbicremus* (Ham. 827); *Omnigenus* (C. S. I, 13); *Conclamatus* (Ham. 944, eo sensu quo vulgo dicebatur « *conclamatum est* »); *Caniformis* (Apoth. 195); *Christipotens* (C. S. II, 710); *Collaudabilis* (Ham., 692); *Conflatilis* (Perist. X, 295); *Conspicabilis* (Perist. X, 633); *Contrectabilis* (Apoth. 958); *Cunctipotens* (Perist. VII, 56); *Destructilis* (Perist. X, 348); *Digladiabilis* (Cath. III, 148); *Invitiabilis* (Psych. 626); *Milleformis* (Cath. IX, 55); *Omnicolor* (Perist. XII, 39); *Omnipollens* (Apoth. præf. 19); *Resolubilis* (C. S. II, 229); *Septicollis* (Perist. X, 413); *Sufflabilis* (Apoth. 838); *Tauricornis* (Perist. X, 222) » [1].

Adjectiva sine conjunctione novata sunt: « *Aurulentus* (Perist. XII, 49); *Berecynthiacus* (C. S. II, 51); *Carcereus* (Ham. 851, C. S. II, 469, C. S. I, 491, Perist. VI, 16, XI, 53); *Carneus* (Apoth. 370, Psych. 765); *Carnulentus* (Perist. X, 372); *Fuliginosus* (Perist. X, 261); *Igneolus* (Cath. III, 186); *Lucinus* (C. S. II, 222); *Ninguidus* (Cath. V, 97, Apoth. 729. Cf. Aus. Ep. 24, 68, 24, 124); *Olybriacus* (C. S. 554); *Rosulentus* (Perist. III, 199); *Russeolus* (Perist. XI, 130); *Sarculatus* (Perist. X, 264); *Simplus* (Perist. X, 878); *Terrulentus* (Ham. præf. 5, Perist. II, 195); *Testeus* (Perist. V, 553); *Turbidulus* (Apoth. 208); *Vesperus* (Dit. 95); *Viscereus* (Apoth. 1025); *Viscosus* (Ham. 822. Cf. Pallad. I, 14); *Zoroastreus* (Apoth. 494); *Bractealis* (Perist. X, 1025); *Bustualis* (Cath. IX, 52); *Carcerealis* (Perist. V, 269, 552); *Columnaris* (Ham. 476); *Flabralis* (Apoth. 841); *Formabilis*

[1] Cf.: Kantecki, de Pr. genere dicendi.

(Apoth. 1033); *Levitis* (Psych. 502); *Mensurabilis* (Apolg. 813); *Nugatrix* (Psych. 433); *Oblivialis* (Cath. VI, 16); *Occidualis* (Psych. 832); *Palpebralis* (Ham. 872); *Proditrix* (Perist. I, 11); *Rotatilis* (Epilog. 8); *Vegetabilis* (Ham. 546); *Veniabilis* (Ham. 935); *Vitiabilis* (Apoth. 1045); *Convertibilis* (Ap. 276); *Passibilis* (Apoth. 6. Cf. Tertull. adv. Prax. 25).

Adjectiva inusitata terminatione apud Prudentium reperiuntur: « *Discolorus* (Perist. X, 302); *Decolorus* (Perist. I, 113); *Multicolorus* (Cath. III, 104); *Unicolorus* (Ham. 819); *Verticolorus* (C. S. II, 56); *Effrenis* (C. S. I, 518. Cf. Plin maj. 8, 44, 59); *Opulens* (Perist. XI, 218, [Perist. XIII, 16, Opulentus] Cf. Nepos, Chabr. 3, Appul. Met. 10); *Imbecillis* (?) (Perist. X, 721, si Obbario creditur secuto quosdam codices; sed *imbecillus* legitur alias, scilicet Cath. IV, 2, Cath. VIII, 190, XI, 99, XII, 207, Apoth. præf. 31, secundum omnes codices. Dressel *Imbecillo*, Perist. X, 721, restituit); *Ledeius* (pro *ledaeus*, C. S. I, 228); *Romulus* (pro *romuleus*, C. S. I, 542, alias).

§ V. — *De nomine adjectivo.* — *De ἀρχαισμοῖς.*

Sunt adjectiva raro ab antiquis scriptoribus usurpata quæ apud Prudentium inveniuntur: « *Fulgidus* (C. S. I, 9. Cf. Lucretium 3, 364 et Claudian. in Ruf. 2, 351); *Indomabilis* (Perist, V, 11. Cf. Plast. Cau. 4, 3, 12, et Lactant. Plac.); *Impuratus* (Perist. X, 191. — Cf. Plaut. Rudens 2, 6, 59, Ter. Phorm. 4, 3, 64); *Lætificus* (C. S. II, 564 — Cf. Lucr. I. 194, Stat. Theb. 8, 261, Cassiod. Hist. eccl. 8, 1); *Prodigialis* (H. 467 — Cf. Plaut. Amphitr. II, 2, 107 alio sensu — Cf. *Prodigialiter* Hor. A. P. 29 ab Horatio creatum) (1); *Propitiabilis* (Perist. XIV, 130. — Cf. Ennium apud Nonium II, 669); *Exsequialis* (Cf. Ovid. Met. XIV, 430; St. Theb. XI, 610); *Genealogus* (Apoth. 319 — Cf. Cic. de Nat. Deor. III, 17, 44); *Multicolorus* (Cath. III, 104. — Cf. Plin. maj. XXXVII, 10); *Omniparens* (Cath. II, Cf. Virg. Æn. VI, 393); « *Infantissimus* » (Perist. X, 3) (Cf. Cic. Pro Cluent. 19, 51) (2).

§ VI. — *De Declinatione substantivorum et adjectivorum.*

In declinandis nonnihil vulgatis terminationibus rariores exquirere videtur. Vidimus « *Aquaï* (Apoth. 702) ». Scribit « *Aeoliae* » (C. S. I, 308, qui locativus ne casus sit inquiritur). Accusativo singularis numeri in *en* studere videtur: « *Persen* » (C. S. II, 562); « *Sardonychen* (Psych. 860); sic genitivis pluralibus in *um* pro *orum* vel *arum*: « *Anniadum* » (C. S. I,

(1) Vide Waltz: *Des variations de la langue et de la Métrique d'Horace*, p. 64.

(2) Ἀρχαισμοὶ in honore fuerunt apud plerosque Christianos poetas. Juvencus, hispanus, ut Prudens, qui circa 330 post J. C. florebat usurpat *mage, dicier, miscerier, faxunt, clepta, lampada.* (Vide Teuffel: *Geschichte der röm. liter.*)

551); « *Christicolum* » (C. S. II, 1002, Perist. III, 72 — *Christicolarum* scribit Cath. X, 57, Apoth. 485); « *Indigenum* « C. S. II, 501); « *Terrigenum* » (Perist. XIII, 37); « *Macetum* » (C. S. II, 542); Multa alia ([1]).

Dicit semel « *Dee* » (Ham. 931), Tertulliani instar (adv. Marcion. I, 29).

Vocativos « *Beatus* » (Perist. II, 530), « *necandus* » (Perist. 89) scribit.

Vocativum « *Pie* » dat (Cath. III, 2).

Genitivum « *Ulyxi* » scribit Virgilium imitatus (Æneis II, 6, 11, 90); ad vers. 544 secundi C. S. libri genitivum « *Argo* » (pro Argus — Cf. Prop. II, 26, 39) scribit. (Legendum esse enim *Argo* [gen.] *jactatæ*, non *Argo jactata* cum Kantecki opinor, adversante Dressel, optimis codicibus auctoribus, scilicet Alexandrino, Palatino Wetzii, Ratisbonensi, ([2]) deficiente Puteano. Contextus ad eamdem sententiam inducit, quem tuis subjicio oculis (C. S. I, 116). De Deorum stupris res est : « *Herculeus mollis pueri famosus amore Ardor et in transtris jactatæ efferbuit Argo. Nec maris erubuit nemea sub pelle fovere Concubitus, et Hylan pereuntem quærere cœlebs...* » Nonne sensus est manifestus, non : « *Hercules famose arsit pueri amore* », post, mutata parte subjectiva, « *Argo efferbuit in transtris* », vel [ablativo absoluto cum altero ablativo « *in transtris* » congrediente] « *efferbuit in transtris, Argo jactata;* » : sed « *Hercules etiam ardore amoris pueri famose efferbuit in transtris jactatæ Argo, nec erubuit...* », quod et latino sermoni congruit et facili tenore pergit?) — Genitivum « *Agnes* » (pro Agnetis) more græco, forsam, ut conjectat Heinsius, ut græco vocabulo memorato (ἁγνός), sanctitatem et virginis memoraret, usurpavit.

Item, more græco, accusativos in *a* usurpat : « *Ægida* » (C. S. II, 652); « *Cratera* » (Ditt. 26); « *Thoraca* » (Ham. 423). — « *Sitem* » unus ex latinis scriptoribus scripsit (?) (Perist. II, 250 ; sic legitur in Puteano ; sed Perist. VI, 60 scribit Prudentius *sitim*); « *Securem* » dat (Perist, II, 23) et « *Febrem* » (Ham. 158); « *Adonem* » (Perist. X, 228) ; « *Anubem* » (Apoth. 196).

Genitiva pluralia dat : « *Plebium* » (Perist. X, 709) ; « *Quiritum* » (C. S. II, 947, alias — satis usitatum) ; « *Rudentium* (C. S. II. præf. 13); « *Infantum* » (C. S. II, 947, alias — Cf. Virg. Æn. VI, 427); « *Sapientum* » (C. S. II, 403 — Cf. Lucr. II, 8; Hor. Sat. II, 3, 296).

Genitiva pluralia participiorum vim substantivorum habentium scripsit ; « *Accubantum* (Cath. IX, 59); *Commeantum* (Apoth. præf. 49) ; *Congredientum* (C. S. II, 705); *Gignentum* (Ham. 571); *Innocentum* (Perist. X, 1093); *Languentum* (Apoth. 683); *Obsequentum* (*Cath.* VIII, 57); *Paventum* (Perist. X, 54); *peccantum* (Ham. 663); *Rogantum* (Perist. II, 181); *somniantum* (Cath. VI, 40); *spectantum* (C. S. I, 397); *utentum* (C. S. II, 829); *viventum* (C. S. II, 796); *anhelantum* (C. S. II, 34); *arentum* (C. S. I, præf. 16); *cadentum* (Cath. XI, 42);

([1]) V. Kantecki, de Pr. genere dicendi quæstiones.

([2]) Adde Codices Bibliothecæ nationalis parisiensis : 8085 : *jactata;* 8086 : *jactata;* nouv. acq. 241 : *jactata*

crepantum (Perist. I, 56); *discrepantum* (Perist. II, 421); *dissidentum* (Perist. X, 211); *flavicomantum* (C. S. II, 624); *Tonantum* (Cath. VII, 95); *vagantum* (Cath, VI, 137); *volantum* (Apoth. 1016). »

Accusativum in *is* usurpat *indigentis* (Cath. VII, 212) si Dressel editioni credas uno codice auctore (Alexandrino). Adversantur alii, inter quos Puteanus : « *indigentes* », Biblioth. Nation. Paris. 8085: « *indigentes* »; 8086 : « *indigentes* ». Attamen codex Nouv. Acq. 241 : « *indigentis* », *pascere* omisso.

Item *omnis* pro *omnes* Dressel dat (Pysch. 910) adversantibus omnibus suis codicibus Alexandrino excepto. Puteanus « *omnes* » fert; 8085 : « *omnes* », 8086 : « *omnes* », nouv. Acq. 241 : « *omnes* »

Accusativos plurales in *as* usurpat Prudentius : « *Heroas* (H. 283); *Gigantas* (Ham. 449); *Nestoras* (Perist. X, 408); « *Tripodas* » (Apoth. 439); *Senonas* » (C. S. II, 678).

Accusativus pluralis numeri « *laurus* » (Apoth. 483) reperitur (fere omnibus codicibus auctoribus inter quos Puteano — Cf. nominat. plur. numeri *laurus*, Tib. II, 5, 63).

Participia præsentis activi, quando loco adjectivorum ponuntur constantissime apud Prudentium in *i* terminantur: Exempla : « *Ardenti* (Psych. 39); *gemmanti* (Symm. I. 486); *latenti* (Apoth. 918); *petulanti* (Ham. 849); *recalenti* (Perist. XI, 143), alia (1).

Contra cum participium geminam vim habet in *e* terminatur : Exempla : « *adventante* (Ditt. 97); *crepitante* (Cath. III, 13); *informante* (Ham. 206); *redeunte* (C. S. II, 722); *rutilante* (Cath. III, 142); *titubante* (Perist. X, 923); *trahente* (Perist. X, 82); *certante* (Ham. præf. 6) *degenerante* (Psych. 81), alia.

Mirabilis forma « *ossuum* » pro *ossium* reperitur Perist. V, III (fere omnibus, inter quos Puteano, codicibus auct.)

§ VII. — *De genere nominum substantivorum.*

Nomina montium primi ordinis in *a* et *e* feminea sunt plerumque apud Prudentium. Sic nomina lapidum. « *Pyrenas* » tamen « *ninguidos* » dicit (Perist II, 540), et « *Chrysolitus nativo interlitus auro* » dicitur (Psych. 854), et topazon « *pulcer* » (Psych. 861).

« *Seps* » fem. est (C. S. I, præf. 54 — satis usitatum genus)

« *Aspis* » masc. est (C. S. I, præf. 37 — secundum omnes Dressel manuscr. et omnes, quos vidi, parisienses).

« *Sentyx* » fem, est (C. S. II, 1043)

« *Rubus* » fem. est (Apoth. 55, 70. Cath. V, 31; — « *Sentam rubum* » ferunt (Ap. 55) Dressel codices, scilicet vaticani, « *sentum* » (genit. contr.) alii; Puteanus : « *sentam* »; Parisiensis 8085 : « *sentam* »; Parisiensis 8086 : « *sentam* »; Parisiensis Nouv. Acq. 241 : « sentam » — « *Spinifera in rubo* » (Cath. V. 31) ferunt Vaticani codices, « *spinifero* » alii; « *spinifero* »

(1) V. Kantecki, de Pr. genere dicendi quæstionnes.

Puteanus et Parisiensis 8036; item Nouv. acq. 241 — « *Contorta rubus* » ferunt Dressel codices; « *contorta* » Puteanus; « *contorta* » Parisiensis 8085; « *contorta* » Parisiensis 8086; « *contorta* » Parisiensis Nouv. Acq. 241).

« *Vepres* » masc. est (C. S. II, 1029, 1040).

« *Chalybs* » masc. est (C. S. I, 50 — ut vulgo, Cf. Virg. Æn. VIII, 446, Senec. Thyest, 364).

« *Corbis* » masc. est (Ditt. 147 — ut apud Isid. Orig. 20, 9, 10; contra Cic. Sest. 38, 82, Ovid. Met. 14,644).

« *Scrobis* » fem. est (Perist. X, 1011)

« *Penus* » masc. est (C. S. II, 918)

« *Specus* » neutr. est (Perist. XI, 160, 213 — Virgilii ad exemplum, Æn. VII, 568)

« *Vulgus* » masc. est (C. S. 580, I, Perist. V, 51 — Virgilii ad exemplum, Æn. II, 99)

« *Numen* » masc. est (C. S. II, 505 — semel, forsan per syllepsim, quia Deos Deasque *quos* nominavit nuper in mente habet Prudentius. Nempe enumeravit Deos Deasque qui suos prodiderunt, Jovem, Minervam, Apollinem, Martem, alios, et addit: « ..... *traduxit alumnos Majestas infida locos, et creditur istis Numinibus, qui transfugio meruere sacrari.* »)

« *Pascha* » neutr. est (Apoth. 348)

Communis generis apud Prudentium sunt « *Auriga* » (Psych. 413); *Comes* (Psych. 268); *Hostis* (Psych. 280); *Eques* (Psych. 270); *Incola* (Ham. 942); *Martyr* (Perist. III, 122); *Pedes* (Psych. 321); *Succuba* (Perist. X, 199).

§ VIII. — *De usu singulari adjectivorum.*

Adjectivum pro substantivo sæpe usurpat Prudentius, adjectivo altero pro epitheto addito. Sic : « *prospera nostra* » (Psych. 696); « *semetra dissona* » (Psych. 829); « *tenerum decorum* » (Hsych. 886); « *sua prisca* » (C. S. I, 293); « *mea frivola* » (C. S. I, 645); « *sua fortia* » (Apoth. 1061); « *sua carnea* » (Apoth. 969); « *grande suum* » (Ham. 81); « *sua nubila* » (Ham. 89); « *meum sacrum* » (Perist. VI, 57); *triste longum* (Perist. XIV, 107); « *profundum nivale* » (Perist. XII, 38); « *grande profundum* » (C. S. II, 89), alia.

§ IX. — *De syncopis.*

Inclinantis jam juxta Prudentium sermonis latini et jam ad linguas recentiores flectentis, in quibus vocabula corripiuntur, vel libidinis tantum qua Prudentius ipse breviores vocabulorum formas aucupabatur indicia sunt syncopæ multæ. « Periclum, seclum, vinclum » undique apud eum occurrunt. Ex minus usitatis cum Kantecki observo :

« *Fidicla* » (?) (Perist. X, 481, 550 — Legendum esse enim *Fidicla*, non *fidicula* secundum codices, renuente metro [« nec dis|tat ign|is et, fĭdĭcŭ|læ sæv|iant » — « Sulcos|que a cu|tos et | fĭdĭcŭ las trans|ferat »] Kanteki contendit. Nullo modo, me judice, renuit metrum ad *fidiculæ* et *fidiculas*. Quartus pes ex tribus brevibus constans sæpius in Prudentii trimetris iambeiis occurrit. Vide Perist. X, 346, 416, 592, 641, 669, 713, 837, 193)

« *Lamna* » (C. S. I, 438, Per. X, 760)

« *Maniplus* » (Psych. 568 — Sic Virg. Georg. III, 397, alii multi)

« *Opermentum* » (Psych. 462 — Metrum sic cogit legere. Optimi codices, inter quos Puteanus, sic ferunt)

« *Poclum* » (Cath. VI, 16, Perist. X, 219)

« *Retinaclum* » (C. S. II, 147)

« *Tegmen* » (Perist. X, 762 — jampridem usitatum apud Lucr. Virg. alios)

« *Repostus* » (Ham. 921, C. S. II, 967, Perist. XIII, 51).

« *Acroma* » (Perist. II, 342); « *Bethlem* » (Cath. VI, I, XII, 78, Dit. 101).

« *Bigus* » pro *bijigus* (C. S. I, 361. — Sic ferunt omnes codices),

« *Cumba* » græco more pro *cymba* (C. S. I, præf. 12, alias — omnino, ut constat, apud latinos poetas usitatum).

§ IX. — *De nominibus numeralibus.*

Invenitur apud Prudentium « *quadruus* » (Psych. 843) cum sensu quem vulgo habet *quadruplex*, non cum sensu quem habet *quadruus* in versu Ausonii « *Errabam riguis per quadrua compita in hortis* » (Id. XIV, 5).

Duo habet acc. masc. « *duo* » (Apoth. 700), genit. nunc « *duorum* » (Ham. præf. 45), nunc « *duum* » (Perist. XII, 29).

Numeralia distributiva (*simplus, duplus, triplus*, etc, sæpissime apud Prudentium singulari numero inveniuntur: « *trina pietas* » (Cath. II, 20); *qualus ter quaternus* (Cath. IX, 60); *trina indoles* (Cath. XII, 67) multa alia (Apoth. præf. I, 1, Ham. 72, Psych. 833, 849, C. S. I, 414, C. S. II, 48, Perist. VI, 6, XIV, 123, Ditt. 193, Perist. X, 78).

Adverbia numeralia cum cardinalibus jungere Prudentio libet (Cath. VII, 38: « *quater decem* » Apoth. 739: « *bis sex* » Apoth. 454: « *ter centum millia divum* », alia) vel cum distributivis (Apoth. 983: « *sex septena* » ; Apoth. 992: « *septem septenis* »). — « Bis quini » C. S. II, 424 pro *decem* legitur. Perist. IV, 49 promiscue cardinalibus et distributivis utitur (« SINGULIS *paucæ*, TRIBUS *aut* DUOBUS *Forsan et* QUINIS *aliquæ placebunt Testibus Christi...* »)

§ X. — *De Pronomine.*

« *Tute* » reperitur quater (Apoth. 674, Perist. II, 261, IX, 69, X, 957).

« *Olli, ollis* » quater (Ham. 139, 730, 554, Apoth. 305) (*Ollis* Perist. X, 265 est dativus plur. numeri nominis substantivi *olla*).

« *Idem* » scribit pro *iidem* Perist. V, 92, « *isdem* » pro *iisdem* C. S. II, 603, 799, 805, alias. « *quis* » pro *quibus* sexcenties (Ham. 100, 869, Psych. 545, Perist. X, 255, Cath. III, 27, Ham. 286, Psych. præf. 43, C. S. I, 165, alias).

« *Cujas* » legitur semel (Psych. 708).

Pro *quisquis* vel *quicumque, quisque* sæpe a Prudentio usurpatur (Apoth. 22, 1060, Cath. VII, 216, Ham. 867, Psych. 784. C. S. II, 477, Perist. X, 35, 129, 214). (Non legendum est, ut quidam volunt *quisqui* pro *quisquis* per ἀρχαισμὸν, quod et omnes codices negant et omnino a Prudentii more abhorret.)

« *Quis* » cum substantivo jungere Prudentio libet: « *Quis somnus... incubat* « (Ham. 58); » *Quis honos domini est* » (Ham. 686); « *Quis locus* » (Psych. 220); alia sexcenta.

« *Quis* » pro pronomine relativo *qui* apud Dressel legitur (C. S. I, 43, (secundum, ut verisimile est, Vaticanos codices. Codices quos legi *qui* ferunt. Deficit vero optimus auctor Puteanus in quo C. S. deest.)

« *Qui* » pro *quo* (ablat.) legitur Ham. 59 per ἀρχαισμὸν, (vel per librariorum errorem, nam hoc longe a Prudentii consuetudine abhorret.)

§ XI. — *De verbis propriis apud Prudentium. — De novatis.*

Protulit Prudentius verba nova, vel inusitata usurpavit: « *Algesco* (Apoth. 142. — Cf. Terent. Adelph. I, 1, 11); *Antevideo* (Apoth. 804); *Calculo* (Perist. II, 131. — Cf. Sid. Ep. VII, 9); *circumsalto* (C. S. I, 135.— Quod utrum uno verbo an uno et altero scripserit ex codicibus non dijudicari potest, ut pote non vocabula primitus secernentibus. — Hoc et ad adjectiva cum adverbio composita attinet, ut *malefaber* vel *male faber* (Ham. 714), *melesuada* vel *male suada* (Cath. III, 113, Psych. 404, Ditt. 2), *malesanus* vel *male sanus* (Ham. 93, Psych. 203, alia plura). — *Coapto* (Psych. 557. — Latinus sermo ecclesiast. Cf. Aug. Doct. Christ. I, 14, Epit. 23 ad finem); *compagino* (Perist. X, 889. — It. August. Conf. XIII, 30); *Concrepito* (Perist. XI, 56); *Confœdero* (Perist. II, 427. — Item Hieronym. Ep. 4, alii); *Confrequento* (Perist. I, 7. — Cf. Colum. IX, 13, 13); *effigio* (Cath. X, 4); *Elaqueo* (C. S. II, 147. — Cf. Amm. 30, 1); *exfibulo* (Psych. 633); *Exstimo* (Perist. XI, 122. — Renovatum forsan. Cf. Tacit. A. 13, 17, Macr. Sat. 7, 2 et 6. Quod ad recentiores attinet Auson. Id. 14, 29); *Ignio* (Perist. X, 1077); *oppaluit* [non, ut Kantecki dicit, ex *oppalesco*, sed potius ex *oppaleo;* Cf. Corip. Joann. V, 156] (Perist. I, 92);

Pullulasco (Perist. X, 882 Cf. Colum. IV, 21, 3); *Resulco* (Perist. V, 144); *Ustuire* pro *ustulare* (Perist. X, 885. — Quidam codices dant *ustum ire* cum hiatu); *perarmare* (Cath. VI, 85); *præmicare* (Perist. I, 84 — Cf. Appul. Met. 5); *Vio* (Ham. 208. — Cf. Quint. 8, 6, 33, Amm. 20, 9).»

§ XII. — *De verbis propriis.* — *De ἀρχαισμοῖς* (1).

Jam vidimus ἀρχαισμοὺς *algesco,* forsan e Terentio renovatum, *exstimo* forsan e Tacito. Addamus: « *Porgere* (C. S. I, 275. — Cf. Virg. Æn. VIII, 274); *conlucere* (Per. V, 10. — Virg. Æn. IX, 165); *incerare* (Ham. 404, Cf. Juven. X, 55); *confovere* (Perist. XI, 138. — Ante et post ætatem probatam viguit. Cf. Afran. apud Non. 523, 17; Appul. Met. 8; Hieron. adv. Rufin. 8); *Prælambo* (Ham. 357 — quod raro occurrit et fere nunquam, etsi Horatiani versus gratia [Sat. II, 6, 108] cujuslibet in memoria versatum. — Cf. Avien. Pereg. 494); « *Infit* » (Apoth. 585) (2).

§ XIII. — *De verbis inusitata terminatione.— De verbis diversæ quæstiones.*

Lis est utrum *clueo* verbum (quo usi sunt Lucretius, Plautus, alii) scripserit *cluo,* (Senecæ instar et Symmachi et Ausonii) annon. Cath. IX, 107, Puteanus, Parisiensis 8085, Nouv. Acq. 241, 8086 « *cluis* » ferunt. Psych. 2, Puteanus, Pariensis 8085, Nouv. Acq. 241 « *cluis* » ferunt. Sic C. S. I, 417, C. S. II, 584. Quod ad C. S. I, 504 attinet « *fuant* » legendum esse cum Dressel opinor. Non solum *cluo,* sed compositum *præcluo* videtur usurpasse. Nam legens « *præcluens potestas* » (Cath. IV, 37), cum constet *præclueo* et *præcluo* exstitisse (*præcluent* Ter. Maur. *præcluatis* Jul. Valer. Res gest. Alex. M. 1, 38), existimo potius *præcluo* in mente Prudentii versatum esse ut pote ad solitum suum verbum *cluo* accommodatum.

Forsan *cludere* pro *claudere* protulit (Perist. XII, 48). Diffido tamen hic Kantecki qui, me judice, nimium Prudentium novatorem deprehendere studet. Ecce locus (de Pauli apostoli æde res agitur): « *Regia pompa loci est, princeps bonus has sacravit ædes,* LUSITQUE *magnis ambitum talentis. Bracteolas trabibus sublevit...* » — « *Lusit* » ferunt onnes codices (3), excepto uno; Vaticanus 3859 exhibet « *Elusit* »; « clusit » nullus. Sensum esse volunt « *clausit* » Fabricius, Giselinus, Kantecki, nec non, ut ex notula apparet, Dressel. Unde Kantecki vellet « *elusit* » Vaticani 3859 in « *clusit* » verti. Exemplum adhibet Dressel nummum Neronianum ubi legitur: « *Clusit Pace P. R. Parta Ubique Janum* ». Sed quod dicitur de clauso

(1) Vide supra § V, note 3.

(2) Cf. Plaut. Aulul. 2, 4, 28; Virg. *Æn.* X, 860, XI, 242. — Adde « *Defit* » (*Perist.* X, 66; Epilog. 16). Cf. Enn. ap. Cic. *Tusc.* III, 19; Plaut. *Miles glorios,* IV, 6, 46; Ter. *Eun.* 2, 2, 12; Virg. *Ecl.* II, 22; alii.

(3) Non exceptis quos vidi Parisiensibus 8085, 8086, *Nouv. Acq.* 241.

Jano pace ubique parta, quæ causa cur sit cur de Pauli æde dicatur? In quo *aperuit* rectius esset quam *clausit*. Sensum esse opinor, non adeo enormem : « Tantis sumptibus erexit ut lusus esse talenta largiri videretur. » Quem ad sensum jam Giselinus, quamvis *clausit* scripsisset, in commentario inclinabat.

Nonnulla habet verba per syncopam truncata. Jam vidimus *porgere* (C. S. I, 225). Addamus. « *Comprendere* » (Apoth. 7, 25, 208, 1028; Ham. 834, Perist. IX, 23, Ham. 92) ; « *deprendere* » (Psych. 264, C. S. II, 430, C. S. II, 76, Ham. 336, Apoth. 496, Psych. 655).

Simplicia pro compositis usurpat: « *Sequor* » pro « *assequor* » (C. S. II, 757); « *pando* » pro « *expando* » (C. S. I, præf. 483, Cath. XII, 170, Perist. II, 513).

Composita pro simplicibus: « *Confieri* » (Apoth. X, 1031); « *conviolo* » (Psych. 398, Perist. VI, 56) « *perarmo* » (Cath. VI, 86), VII, 93, VIII, 43).

Intransitivis activam vim addit: « *Assuesco* » (C. S. I, 540. — Cf. Horat. Sat. II, 2, 109); *consuesco* (Apoth. 725); *insuesco* (Cath. IX, 95. — Cf. Horat. Sat. I, 4, 105).

Verba impersonalia personalium loco ponit: Pluit (Cath. III, 79); miserescito (C. S. I, præf. 84); pudescit (Apoth. 776) » Usurpat « *resultare* » transitive (Perist. X, 979) « *Sordet* » utitur eodem modo quo *pudet* (Ham. 104)

Dressel « *viviscere* » (Apoth. 902) legit, suorum codicum gratia. Puteamus « *vivescere* » exhibet, Parisiensis 8085 « *vivescere* » Paris. 8086 « vivescere » (?) Paris. Nouv. acq. 241 » vivescere » post emendationem.

Deponentem *vagatur* in « *vagat* » vertit (Cath. VI, 29. — Ἀρχαισμός : Cf. Pac. ap. Non. Non. 67, 25).

« *Diriguit* » apud Dressel (Apoth. 617) legitur, nec editor adversantes codices notat. Idem « diriguit » exhibent omnes, quos vidi, codices.

« *Dispuere* » Dressel dat (Psych. 368, Apoth. 1084, C. S. I, 579, Perist. II, 188). Puteanus « despuere » exhibet Psych. 368, Apoth. 1084, Perist. II, 188. Parisiensis 8085 « *despuere* ». Parisiensis 8086, Apoth. 1084 « *Despicite* ».

Dressel dat « *destructa* » (Apoth. 445), « *destructum* » (Apoth. 528). Puteanus exhibet « *Distructa* » (Apoth. 445), « *Distructum* » Apoth. 528). Pariensis 8085 dat « *distructa* » (Apoth. 445), « *destructum* » (Apoth. 528). Pariensis 8086 dat « *destructa* » et « *destructum* ». Pariensis Nouv. acq. 241 dat « *destructa* » et « *destructum* ».

Dressel dat « *Dissice* » (Cath. I, 97) et « *dissicit* » (Perist. II, 209). Quod omnes quos vidi codices confirmant, unde verbum vere exstitisse *dissicio*, quod sæpe in dubio positum fuit, apparet. Sunt codices « *disjice* » exhibentes (Vide Dressel).

« Discedite » (Cath. II, 4) legendum est, nullo adversante codice, præter Puteanum, hic manifesto errantem. — « *Inervo* » pro « enervo » usurpavit ne Prudentius? Ait Dressel et « *inervans* » (Cath, VIII, 64) « *inervatum* »

(C. S. II, 143) legit. Credere malim Prudentium «*enervo*», *e* brevi facto, usurpasse. Puteanus dat «*enervaus*». Parisiensis 8085 «*inervaus*». Parisiensis 8086 «*enervans*». Parisiensis Nouv. acq. 241 «*enervans.*»

§ XIV. — *De Participiis.*

Quædam participia perfecti temporis verborum deponentium passiva significatione dat : « *Comitatus* » (Psych. 163 — « *egregio comitata viro* » — Cf : Ovid. Trist. III, 7, 471 — Lucr. I, 98 — Virg. Aen. II, 580, alias; alios)

« *Dimensus* » (Ham. 483, Psch. 827. — « *dimensa in jugera* » — « *spatiis percurrit arundo dimensis* » Cf : Cic. De senect, 17, 59; Cæs. B. Gall. 2, 19, 5; 14, 17, 3; Virg. Georg. I, 231; II, 284).

« *Remensus* » (Ham. 850 — « *Exsuperatque polum fervens scintilla remensum* » — Cf. Virg. Æn. II, 181).

« *Medicatus* » (Ham. 538, 539 — « *medicato vulnere* » — « *Magis est medicata sagitta* » — Cf. Hor. Carm. III, 5, 28).

« *Meritus* » (Perist. XIII, 95 — « *Ille Deo meritas grates agit* » — Cf. Cic. Liv., Virg. — omnino probatum).

« *Emeritus* » (C. S. II, 1084 — « *Transfert emeritas jugas* » — Cf. Cic. Liv., Suet., Ovid. — omnino probatum, et hic lepide dictum).

« *Nundinatus* » (Perist. X, 969 « *Nundinatum hunc arguit* » — hoc sensu post ætatem auream vulgatum. Cf. Firm. Math. 6. 51; Cassiod. Variar. 4, 19).

Adde Ditt. 91 « *præcepta* » pro *jussa* (Cf. Virg. Georg. IV, 448). — Dressel » *recenseta* » (Apoth. 1000) « *recensitis* » (Perist. XI, 147) scripsit. Puteanus « *recensita* » exhibet. Parisiensis 8086 « *recenseta* » ; Parisiensis Nouv. Acq. 241 « *recensita* » ; Paris. 8085 versum sic dat, sensu non intelligendo : « *stirpe recenset anumerandus sanguinis heres* ».

§ XV. — *De Verborum declinatione*

Quemadmodum ἀρχαισμοὺς affectat « *aquaï, olli, induperator* », ita vetustas formas infinitorum in *er* diligit : « *circumferier* » (C. S. I, 423); « *comprendier* » (Apoth. VII); *dicier* (Perist. XI, 86); *dispergier* (Apoth. 474); *frenarier* (Psych. 191); *grassarier* (Ham. 649); *immolarier* (Perist. X. 345); *innectier* (Apoth. 905); *luctarier* (Perist. X, 651); *innectier* (Psych. 357); *negarier* (Perist. VII, 54); *Popularier* (Perist. X, 939); *profarier* (Perist. X, 939); *spargier* (Cath. V, 148); *subjungier* (C. S. II, 587); *venerarier* (Ham. 106); *vestirier* (Psych. 39).

Item in declinando verbo *sum* et compositis hujus verbi vetustioribus formis Prudentius utitur (Perist. II, 569 « *adsies* » ; C. S. I, 504 : « *fuant* »; Apoth. 182 : « *potis es* » ; Psych. 88 : id ; Apoth. 79, 80 : id ; C. S. II : 982 : id; alias sexcenties).

« *Faxo* » item pro *fac* (Psych. 249, Perist. V, 101, Perist. X, 107).

« *Ausim* » usurpat (Ham. 80, C. S. I, 646); « *ausim* » (Ham. 47); « *ausit* » (P. V. 414); « *potesse,* » (Perist. X, 803).

Secundi ordinis pauca verba ad tertium ordinem transfert, ut (Perist. V, 10) « *conlucis* » metri forsan causa; « *excellet* » pro *excellit* (Apoth. 560 — *Excellit* dat Dressel, cum plerisque suis codicibus. *Excellet* Puteanus et ceteri quos legi omnes — Cf. Ciceronis *excelleat* Fragm. apud Prisc.)

Primi ordinis *densare* ad secundum transfert (Cath. V. 53, Ham. 409, C. S. I, præf. 41);

« *Lavare* » tertii ordinis more declinat (Perist. III, 190 — Cf. Hor. Carm. II, 3, 18, alias).

« *Personasse* » usurpat (Epilog. 34) (Cf. Appul. Met. 5).

Item « *increpatus* » pro *increpitus* (Cath. VII, 195).

« *Crepasset* » ne Prudentius usurpavit (Perist. X, 760)? Dressel, quos optimos habet codicibus auctoribus, *cremasset* dat (Vide notulam in ejus editione). Heinsius, Cellarius, Obbarius *crepasset* legunt; mei codices *cremasset* exhibent. Puteanus hic deficit. Sensus, vividiore figura forsan si *crepasset* legas ornatus, recte tamen accomodatum *cremasset* accipit, quam lectionem probo.

Verbi defectivi « *fari* » hæ apud Prudentium leguntur formæ « *fanti* » (Perist. VI, 43); « *effare* » (Perist. X, 924); « *fante* » (Perist. II, 357).

§ XVI. — *De Syncopis in Verbis propriis et brevoribus pro plenioribus formis usurpatis.*

Tempora in *vi, veram, verim, vissem, visse* apud Prudentium sæpius per secundas et tertias personas syncopam patiuntur, solito, poetarum præsertim, more. Exempla sunt: « *Dedecorasti* (Perist. IV, 112); *effigiasti* (Cath. X, 4); *locasti* (Perist. II, 418); *notasti* (Perist. IV, 90); *parasti* (Perist. II, 58); *armarunt* (præf. univ. 14); *dicarunt* (Apoth. 641); *evolarunt* (Perist. I, 83); *piarunt* (C. S. II, 678); *nosse* (Cath. III, 116, Cath. VI, 44, Apoth. præf. 55, Apoth. 42, 122, 162, 241, 865, C. S. III, 201, 235, 737, Per. X, 410, XI, 12) alia sexcenta.

Rarius secundæ personæ singularis numeri terminatio verborum passivorum et deponentium *ris* in *re* mutata invenitur, et quidem temporis indicativi semel tantum: Perist. V, 154 « *rere* » (Cf. Plaut. Trin. 2, 4, 14). Ceterorum temporum exempla sunt: « *contemplere* (C. S. I, 451); *mereare* (Apoth. 538); *Mirere* (Ham. 863, Perist. XI, 23); *fatebere* (Apoth. 674); *mirabere* (C. S. II, 718).

Erunt in *ere* maxime usitata mutatio est: « *Informavere* (C. S. I. 55); *docuere* (Apoth. I, 55); *meruere* (C. S. II, 505); *timuere* (Apoth. 626); *videre* (Cath. XII, 61); *sensere* (Cath. XII, 70); *sepsere* (Perist. XIV, 93); *Potuere* (C. S. II, 361); *convertere* (Psych. 600); *didicere* (Ham. 221); *peperere* (Cath. III, 183); *Pepigere* (Perist. II, 137); *petiere* (Ham. 956); *respexere*

(Ham. 842); *tulere* (Perist. VIII, 4); *vexere* (Cath. XII, 106); *vertere* (Psych. 631); *vicere* (C. S. II, 747) *vixere* (C. S. II, 198); alia plurima [1].

§ XVII. — *De Adverbio.*

(A) Ἀρχαισμοί — Multa hic quoque a Prudentio novata sunt ad exemplum veterum recurrente. Constat enim veteres plerumque supini vel participii perfecti passivi terminatione recisa in ejus locum *im* terminationem substituisse, qua ratione adverbia fierent (*Statim, Strictim*) Eodem modo, non semel vetustas formas repetens, Prudentius : « *Congregatim* (Cath. VII, 143); *cumulatim* (Apoth. 717 — Cf. Varr. R. R. 3, 5); *Mixtim* (Apoth. 1008 — Cf. Lucr. III, 565); *Junctim* (Apoth. 798 — Cf. Anthol. I, p. 371); *frustatim* (Psych. 720 — Cf. Plin. 20, 9, 39); *undatim* (Perist. X, 357 — Cf. Plin. 13, 15, 30). — *Usquequaque* (Perist. X, 975 — Cf. Cic. Fam. 7, 16, 1, Catull. 39, 2); *Altrinsecus* (Perist. V, 53 — Cf. Plaut. Miles, II, 5, 36); *Intrinsecus* (Perist. II, 240, V, 157 — Cf. Varr. R. R. 2, 11) *Peregri* (Perist. IV, 89 — Cf. Plaut. Amph. prolog. 5; Nœv. ap. Charis. p. 189); *Medullitus* (Ham. 391) (Cf. Varr. ap. Non. 139, 9 — Enn. ap. Non. — Plaut. Most. I, 3, 86) : *Mage* (C. S. I, 517 alias — Cf. Plaut. Asin. I, 1, 51; II, 3, 14 alias crebro; Lucr. IV, 79, alias; Virg. Aen. X, 481.); *Sectius* (C. S. II, 792 — Cf. Plaut. Menec. V, 7, 57); Id. (Ham. 925 — Dressel dat *secius;* Puteanus exhibet *setius;* Parisiensis 8085 *sætius;* Nouv. acq. 241 *setius*).

(B) Adverbia recentioris sermonis et raro versantia usurpavit Prudentius : « *Competenter* (Perist. X, 118 — Cf. Ulp. Dig. 24, 3, 22; Hieron. adv. Helv. 2); *cælitus* (Cath. XI, 79, Apoth. 553, Psych. 65, Perist. X, 430, Perist. XIII, 10 — Cf. Lact. IV, 2; Amm. 23, 6); *Sedule* (Perist. V, 407 — Cf. col. 9, 9, 1).

(C) Adverbia protulisse Prudentius videtur omnino nova : « *Segregatim* (Ham. præf. 39); *permixtim* (Perist. II, 129); *digestim* (Perist. II, 129); *scissim* (Ditt. 34); *extrorsum* (Cath. IX, 74); *fabriliter* (Apoth. 519); *Terrulente* (Perist. X, 378).

(D) Insuper attende Prudentium neutra adjectiva crebro adverbiorum loco adhibuisse. Exempla sunt : « *Æternum* (Perist. II, 508); *castum* (Cath. II, 32); *Indomitum* (Psych. 296); *maliguum* (Perist. V, 417); *mancum* (Perist. II, 231); *longum* (Perist. X, 393); *Pulcrum* (Perist. V, 78); *severum* (Cath. II, 33); *sudum* (Cath. VII, 80); *supremum* (Cath. VII, 142); *tetrum* (Cath. IV, 22); *dulce* (Perist. X, 365); *exile* (Apoth. 847); *futile* (Ham. 560); *formidabile* (Psych. 296); *Fidele* (Perist. V, 428); *Grande* (Ham. 171); *juge* (Ham. 472); *inevitabile* (C. S. II, 464); *juge* (Perist. IV, 143); *iners* (Cath. VI, 36); *leve* (Perist. VII, 73); *lene* (Ham. 769); *molle* (Perist. X, 281);

[1] De omni hac re fusius disseruit Kantecki : *de Pr. genere dicendi quæstiones.*

penetrabile (Psych. 125): *Suave* (C. S. I, 63); *triste* (Cath. V, 50); *diversa* (Perist. II, 387).

Ex quibus omnibus colligendum est multa forsan nova protulisse Prudentium, plura ut mihi videtur, e vetustis voluminibus repetiisse. Nova enim, me judice, necessitatis causa fingit, vetusta antiquitatis studio reparat et restituit. Quemadmodum, ut vidimus, vetusta quæ ad Christianorum fidem pertinent, per monumenta, tumulos, catacumbas, per illa etiam quæ de martyribus memoriæ hominum tradita sunt, accuratissime aucupatur, ita latini sermonis et studiosus, antiqua linguæ romanæ monumenta scrutatur, ea imprimis quæ poetarum sunt, et Horatii, Virgilii, Lucretii, antiquiorum, credo, etiam volumina versavisse videtur. Ita fit ut non solum eximius poeta, gravis fidei magister, sed et poetici sermonis latini, partim, pro virili parte, reparator fuerit.

CAPUT SEPTIMUM

De re metrica apud Prudentium.

§ I. — *De quantitate syllabarum.*

Quedmadmodum Prudentium ostendimus « inter Christianismum et Paganismum (ut ait Dressel) intercedentem » quod ad universam poesis speciem attinet, ita, quod ad rem metricam, partim hinc illinc partim pendere brevi constabit. Fingas enim Prudentium ante omnia Christianum fuisse, Christianis scriptoribus refertum, hymnis per ecclesias celebribus plenum, pulchri vero studio raptus antiquos poetas scrutatum esse, ita tamen ut non nihil consuetorum et in memoria hærentium carminum maneret. Inde et plerumque apud Prudentium prosodia recta et sincera, ea, ne multa, quæ optimam ætatem optimosque magistros exprimat, et nonnunquam maculæ, culpæ vel et vitia, quæ Christianorum ὑμνολογίαν nimium in memoriam referunt. Hæc, ut jam summatim diximus, ὑμνολογία hoc imprimis (quod ad rem metricam attinet) notabile exhibet quod accentus lex prævalet, quantitatis lege posthabita. Qui mos, ad vulgi sensum accommodatus reperitur apud omnes christianos hymnorum scriptores, Ambrosium, Damasum (De sanctæ Agathes hymn.), Hilarium (Hymn. Vespertinus, Hymn. de Christo), ceteros, multo quidem magis quam apud Prudentium. Scilicet exquisitum istud judicium et purgatæ auris sollertia, qua brevis a longa, non obstante accentus seu elevatione seu demissione, discernitur, jam deficere cœperat; saltem ea carebat, forsam et semper caruerat, plebs tunicata, quam præcipue hymnorum scriptores spectabant. Unde fiebat ut vulgo syllaba elevata pro longa, demissa pro brevi haberetur, qui mos sensim eo evasurus erat ut quantitatis vel sensus nullus fieret, et, omnibus vocibus quasi æquatis, syllabæ non jam penderentur, sed numerarentur. Hoc vitio, non equidem gravi et adulto, sed oriente et jam increscente laborant omnes poetæ christiani; cujus Prudentius nonnunquam quasi contagionem sentit. Accipe exempla :

In arsi breves producit quæ sequuntur :

Tua sunt, | tua rec| tor ut| rāque. (*Cath.* X, 5.)
Frivola ut| rāque et ut| rāque ni| hil. (*Perist.* III, 80.)

Sanguinis no|tis eādem | scripta ter|ris tradi|dit. (*Perist.* I, 3.)
Jamque Re|mi popu|lo quer|nas Sard|īnia glandes. (*C. S.* 946.)
Docet | duī|tas dis|crepa|re et spi|ritu. (*Ham.* 37.)
Sophī|a cal|lebas | prius. (*Cath.* XI, 20.)
Sorti|ti æter|na colu|erunt dogma so|phīæ. (*C. S.* I, 34.)
Adda|mus i|llam, vis, | hecā|tomben | tuam. (*Per.* X, 1051.)
.... Nam | forte Cy|ānea | propter,
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso (*Psych.* 926).

pro cyănĕă (*Si cyaneos raperere par æstus* (St.) adde Mart. VII, 18, 3) ex κυανεος.

Nec non | Thessali|cæ doc|tissimus | ille ma|gīæ. (*C. S.* 178.)

ex μαγεία.

Ascle|piā|des i|re man|dat mi|lites. (*Perist.* X, 42.)

ex Ἀσκληπιάδης

Possint, | figu|ra no|verī|mus mystica. (*Psych.* præf. 58.)
Has in|ter speci|es smā|ragdina | gramine | vero
Prata virent. (*Psych.* 931.)
Ipsa re|dīmit|os ole|a fron|dente ca|pillos. (*Psych.* 687.)
Rēcidit | in pœn|am...................... (*Apoth.* 878.)

(Cf. de rēcidit, quod frequens est post Augustum, Prop. IV, 8, 44, vel Ovid. Met. X, 180) (1).

In thesi longas sæpius corripit quam breves producit in arsi. Exempla sunt quæ sequuntur : sæpissime corripit græcam vocem η ut fiat ĭ (græcorum recentium modo) vel ĕ :

Spirat | de patrio | corde pa|raclĭt|um. (*Cath.* V, 160.)

ex παράκλητος;

Audiat | insan|um bac|chantis en|ergĭma | monstri. (*Apoth.* 400.)

ex ἐνέργημα;

Si licet | ex ĕthi|cis quid|quam præ|sumere..... (*Ham.* 581.)

ex ἠθικός;

Cui je|juna erĕmi | saxa lo|quacib|us. (*Cath.* V, 89.)

ex ἔρημος (id. *Psych.* 371);

Nec mathĕ|sis præs|cripto ali|quo pia | vota re|pelli. (*C. S.* II, 479.)

ex μάθησις; sic :

Allophy̌|lus tua | castra ve|lit de|lere ty|rannus. (*Ham.* 500.)

(1) Adde « *Fertur | per medi|as ut | publica pompa platēas* » *Platea* autem probata ætate *plătĕă* erat (Her. Tor. Catull.); Posterioribus temporibus *platēa* factum est accentus vi et græcæ formæ momento (πλατεῖα). Cf. Aus. (Cl. Urb. 14, 25, Paul. Nol. 14, 31.)

ex ἀλλόφῡλος (id. *Ditt.* 71);

.... simi|laginis | azymon | esse. (*Apoth.* 353.)

ex ἄζῡμος;

Ecquis in | indŏlĭ|o recu|bans............ (*Apoth.* 186.)

ex εἰδωλεῖον; sic:

Ince|rat lapi|des fu|mosos | idŏlo|latrix (*Ham.* 404.)

ex ἀιδωλολάτρης;

Hic Chal|cedŏn he|bes.... .... (*Psych.* 857.)

ex χαλκηδών (obstante accentu); sic:

Quæ viri|dis Lace|dæmŏn ha|bet........ (*C. S.* II, 247.)

ex Λακεδαίμων;

Multipli|ci dux | dæmŏn a|dest........ (*C. S.* II, 289.)

ex δαίμων;

..........|cum pul|crum poĕs|is cas|traverit | Attin. (*C. S.* II, 52.)

ex ποίησις (Cf. Hor. AP. 361 : *poēsis*)

.... attoni|ti phrenĕ|sis mani|festa ce|rebri. (*Ham.* 125.)

ex φρενῖτις, φρενητικος, φρενῖτικος (Cf. Juven. XIV, 136 phrenēsis; id. Mart. IV, 81).

Jam vidimus diphtongum αι in æ versum (jam apud Appul. De Deo socrat.) Fit ut et in ĕ vertatur

Qui mi|lle per | Mĕan|dros. (*Cath.* VI, 142.)

ex Μαίανδρος (Cf. Sen. Herc. fur. 683 : *Mæander*)

Dextram | perar|mat rom|phĕa|li incen|dio. (*Cath.* VII, 93.)

ex ῥομφαία

Cujus ad | arbitri|um sphĕra mobilis | atque ro|tunda. (*Apoth.* 210.)

ex σφαῖρα (Cf. Capel. VI *sphæra*)

Legis in | effigi|e scrip|tum per ĕ|nigmata | Christi. (*Apoth.* 331.)

ex ἄινιγμα (Cf. Cic. de orat. 3,42 et ceteros: ænigma).

Pugnet | contra hĕrĕ|ses............... (*Præf. univ.* 39.)

ex αἵρεσις.

Adverbiorum in *e* desinentium, etsi ex adjectivis secundi ordinis ortorum, terminationem *e* nonnunquam corripuisse Prudentium dicit Kantecki. Unum hoc exemplum reperio, nec certum.

Trina su|pernĕ rega|t piet|as. (*Cath.* III, 20.)
Omnico|lor vitre|as pic|tura su|pernĕ, tingit, undas. (*Perist.* XII, 39.)

(Cf. Lucr. VI, 597, Hor. Carm. II, 20, 11, ubi legitur supernĕ; sed alii legunt supernă)

Adverbia *porro, idcirco, immo* apud Prudentium terminationem contrahi solent, ut substantiva ipsa in *o (leno, sermo),*

Maxime in propriorum nominum quantitate fluctuat *Īesŭm* exhibet (Cath. I, 81); *Mōÿses* (Cath. V, 63) *Bēlĭă* (H. 520) et *Bĕlĭă* (Psych. 714)

Hic recordandum substantiva quædam per ἀρχαισμὸν mutasse Prudentium metri causa (*luis, famis.* — Vide supra. Cap. VI, § VII)

Hæc tandem sunt quæ omnino extra normam, ulla sine quæ pateat causa, versantur :

Sŏcors, Sŏcordia (Cath. I, 34. Apoth. 126, Perist. X, 810); *lŭgubris* (Cath. IX, 79); *cui* (monos. brev. Cath. III, 167); *găneo* (Ham. 322); *Rŭbigo* (Psych. 105); *dispār, impār* (Ham. 27. C. S. I, 168); *involŭcrum* (C. S. I, præf. 54); *frustră* (Perist. I, 13); *delībuta* (Psych. 312); *calcĭămentum* (Perist. VI, 74); *īmbĕcillus* (C. IV, 2, Apoth. præf. 31); *tĕmulentus* (C. S. I, 135); *fĭo* (Perist. VI, 83).

§ II. — *De quantitate syllabarum per positionem.*

Quoties sibi opus est Prudentius non solum ante *sc, st, sp,* sed etiam ante mutam cum liquida brevem producit præcedentis vocabuli. Exempla sunt :

> Inde Deos quorum patriā spectata sepulcra. (*C. S.* I, 54.)
> Imbuerē fragilique viros fædare triumpho (*Psych.* 252.)
> Orbis, avaritiā sternens centena virorum. (*Psych.* 481.)
> Nil ipsĕ proprii memor. (*Perist.* VII, 39.)

Sunt hujuscemodi sexcenta (vide Dressel C. S. I, 54, not.)

Adde Prudentium breves vulgo cæsuræ tantum causa producere, ut ex his exemplis apparet: Apoth. 351, 418, 833, Psych. 41, 99, 685, C. S. II, 227 (vide Dressel loco supra citato.)

Notandum tamen breves produxisse isto modo in thesi nunquam Prudentium. Loci ubi ista productio (*sc, st, sp, pr. pl...* gratia) in thesi inveniebatur, corrigendi sunt omnes. Vide, exempli causa, versum Apoth. 295: « *Fonte vetustatis, percurre scrinia primi* » ; legendum est : *percurre et scrinia primi.* Sic Puteanus, Alexandrinus etc. exhibent. Ad versum Apoth. 1080: *Pellite corde metum, mea membra, credite vosmet* » ; legendum: » *et credite* » Sic Puteanus, Thuanus.

§ III. — *De Hiatu.*

Rari apud Prudentium hiatus inveniuntur (exceptis, qui justi sunt, hiatibus qui ex *o, ah* monosyllabis constant). Qui sequuntur solos reperio.

In arsi:

Spemque in | mē om|nem statuat..... (*C. S.* II, 159.)
Unus e|gō ĕlĕ|menta ro|go........... (*C. S.* II, 227.)

ubi et *o* ex brevi longam factam reperimus cæsuræ causa (vide supra § II).

In thesi, quod magis culpandum :

Vādĕ hŏ|mo adfla|tu nos|tri præ|nobilis | oris. (*Psych.* 698.)

ubi et brevem in hiatu positam (non puncto subjecto, ut apud Virgilium « *Et vera incessa patuit Dea* »), et hiatum in thesi videmus, utrumque vitiosum.

Immo ĭtă | ēst, armis et viribus indiga veri. (*C. S.* II, 510.)

vel (cum Prudentius immŏ sæpius usurpet).

Immŏ ĭt|a ēst,...........................

quod malim, et minus molestum quam hiatum inter unum et alterum pedem positum arbitrer. Quacumque tamen ratione scandas culpanda est thesis hiatu gravata.

Demum in lyricis, quod omnino reprehendendum, duo exempla.

Hīs mēm|bră pēr|gūnt ū|rĕrĕ, ŭt | īgnī|vĕrīnt. (*Perist.* X, 1078.)
Arām an|tĕ īps|ām sīm|plĭcēs. (*Cath.* XII, 132.)

ubi et hiatum in lyricis versibus, cujus rei vix unum et alterum exemplum est (Hor. Ep. V, 100, Carm. I, 28, 24) et hiatum brevis, et hiatum in thesi simul vituperandos habemus. Nota hiatum a S. Ambrosio esse prohibitum.

§ IV. — *De Elisione.*

Nec iis annumerandus est Prudentius qui frequentes elisiones admiserunt, nec iis qui maxima cura vitaverunt. Cum enim Virgilius ex duobus versibus unum exhibeat elisione affectum, Ovidius quinque e sex versibus sine elisione scribat, Prudentius in Apotheosi quæ ex 1084 versibus constat, elisiones habet 241, scilicet ex quatuor versibus unum cum elisione. Notandum Apotheosim plures elisiones quam quodlibet aliud Prudentianum poema continere, cum elisiones apud Prudentium plures fiant ut controversia fit, et concertatorium, id est prosaicum, dicendi genus intercedit; sic in Apotheosi præcipue ad finem (vide 780 ad 900) [1].

Lyrici versus multo pauciores elisiones continent. Omnibus Hymnorum Cathemerinon versibus recensitis, qui sunt numero 1780, tantum elisiones reperies 85, id est pro viginti versibus unam.

[1] Ceterum Apotheosim elegi materiem discussionis, quod ad elisiones in hexametris attinet, quia omnium operum prudentianorum, quod ad metricam rem attinet, ut ex sequenti omni commentario manifestum fiet, maxime laborat.

Monosyllabum *te* semel elisit (Apoth. 355); *qui* semel (Ditt. 195); *se* crebro.

Quod ad quantitatem elisarum syllabarum hæc observavi:

Multo sæpius breves quam longas elidit, multo et sæpius longas quam syllabas *am, em, um, im.* Tria millia circiter versuum hunc ad finem recensens, elisiones 205 per brevem notavi, 89 per longam (fere nunquam per *œ, æ,*) per syllabas in *m* 32.

Pleræque Prudentii elisiones, quod ad hexametros attinet, in primo et secundo pede sunt, rariores in ceteris, sed ex ceteris non in alio quam in alio frequentiores, ut indiscrete positæ.

Pleræque, quod ad lyricos attinet, cum cæsura cadunt, Horatiano more. Vide Cath. I, 68 : « *Christum redisse ex inferis* », ibid 70 : « *Tum lex subacta est Tartari* ». Quod non, me judice, fortuito advenit ter tribus ex ordine versibus (Cath. XI, 97, 98, 99):

Hunc quem latebr|a et obstetrix
Et virgo fet|a et cunulæ
Et imbecill|a infantia.

§ V. — *De versus compage (Hexametri).*

Hexametri Prudentii æquato fere examine dactylorum et spondæorum admixtum præbent. Nempe ex 5147, hexametris, 3010 ex hinc tribus spondæis tribus illinc dactylis constant. Quod ad 2137 ceteros, 1092 plures spondæos habent, 1045 plures dactylos. Constat ergo Prudentium, quem sæpius ἀρχαισμῶν aucupem, quod ad verba attinet, deprehendimus, non Catulli, vel Virgilii, quod ad versus structuram, exemplar sequi, apud quos longe, ut neminem fugit, spondæus pollet, sed potius, si non Ovidii, dactylis scatentis, Statii saltem æmulum se præbere, apud quem pari numero spondæi et dactyli numerantur.

Si singula poemata discutiemus, constabit, quemadmodum in controversia et concertatoriis partibus elisiones plures quam alias versantur, ita iisdem in partibus spondæos supereminere, narrativis, epicis locis, dactylum quasi ex propria sede spondæum fugare. Etenim Apotheosis ex 1084 hexametris constat, quorum pari numero dactylos et spondæos habent 597, plures spondæos habent 276, plures dartylos 201, unde discrimen fit secundum spondæum 85;

Hamartigenia ex 966 hexametris constat, quorum pari numero dactylos et spondæos habent 539, plures spondæos habent 201, plures dactylos 226, unde discrimen fit secundum dactylum 25;

Psychomachia, quæ tota epica est, dactylo plurimum favet, quæ, cum 915 ex hexametris constet, pari numero dactylos et spondæos habentes versus exhibet 452, versus ubi spondæus pollet 163, versus ubi dactylus pollet 300, unde discrimen fit secundum dactylum 137.

Contra Symmachum libri duo qui ad concertatorium genus pertinent,

nec non pedestri interdum sermone utuntur, 1789 hexametros continent, quorum dactylos et spondæos pari numero habent 1231, plures spondæos habent 336, plures dactylos 222, unde fit secundum spondæum discrimen 114, quod magnum est et insuetum apud Prudentium.

Peristephanon contra VIII, XI, IX, qui ad lyricum genus pertinent 185 hexametros habent (alio genere versibus mixtos) quorum 98 pari numero dactylos et spondæos præbent, plures dactylos 40, plures spundæos 47, unde fit secundum spondæum discrimen, fere indeprehensibile, 7.

Adde, unde nil colligendum arbitror, Dittochæon ex hexametris 196 constare, quorum plures dactylos habent 52, plures spondæos 56, pari numero dactylos et spondæos 88, unde discrimen fit secundum spondæum 4.

Quod ad sedem in versu et dactylorum et spondæorum hæc notavimus. Tres sunt pedes quos Prudentius *ad libitum* habet, nec magis ad spondæos quam ad dactylos accipiendos aptos arbitratur, *secundum* scilicet (etsi paululum in hoc dactylum amare videtur) et *tertium* et *quartum*. In primo vero, ut optimis, sic Prudentio, dactylus placet. Constat enim apud Virgilium ex decem quibuslibet hexametris sex a dactylo incipere, apud Ovidium incipere itidem ex sex quinque. Apud Prudentium prope mos Virgilianus reperitur, cum ex 100 hexametris prudentianis 44 a spondæo incipiunt, 56 a dactylo. Etenim cum 5147 hexametros scripserit, a dactylo incipientes exaravit 2869.

Si singula poemata discutientur, quemadmodum plures spondæos in præceptivis et concertatoriis vidimus, plures dactylos in vere epicis, ita plures, ut exspectare potes, versus a dactylo incipientes in epicis invenientur. Nempe Psychomachia quæ ex 915 hexametris constat, a dactylo incipientes versus exhibet 500, Hamartigenia quæ ex 966 hexametris constat, a dactylo incipientes dat 586; Apotheosis vero quæ ex 1084 hexametris constat, a dactylo incipientes dat tantum 592. Hoc notandum Contra Symmachum duos libros plures versus a dactylo incipientes quam quodlibet aliud Prudentianum poema continere; scilicet, cum ex hexametris 1789 constent, 926 hexametros a dactylo incipientes exhibent. Peristephanon, VIII, IX, XI qui 185 hexametros continent 111 a dactylo incipientes dant. Dittochæon, quod ex 196 constat hexametris 117 a dactylo incipientes habet. Ubi plures versus a spondæo incipientes quam a dactylo versentur poema apud Prndentium nullum est — Prudentio placere videtur quinque dactylis et uno spondæo (vel trochæo) compositus hexameter. Cujus generis sunt in Apoth. 19 (2, 43, 75, 129, 145, 150, 215, 255, 269, 308, 315, 328, 344, 350. 366, 386, 895, 926, 1008), in Hamartigenia 23 (40, 89, 91, 151, 152, 155, 175, 191, 218, 232, 314, 322, 339, 365, 369, 391, 552, 587, 627, 659, 718, 739, 931), in Psychomachia 9 (195, 239, 290, 370, 388, 431, 449, 508, 608), in C. S. utroque libro 33 (39, 40, 250, 446, 447, 496, 539; — 22, 46, 83, 128, 129, 131, 165, 174, 175, 182, 294, 344, 359, 403, 449, 467, 659, 671, 708, 801, 822, 866, 903, 978, 1073, 1080), in Peristepha-

non VIII unus (15), in Peristephanon IX tres (21, 51, 87), in Peristephanon XI tres (125, 191, 325), in Dittochœo 8 (12, 29, 36, 66, 116, 143, 161, 187), in Apoth. præfat. unus (5).

Quintus hexametri pes, ut apud omnes, apud Prudentium fere semper dactylo addicitur. Notavi apud Prudentium 23 tantum qui dicuntur spondiaci versus. Quorum numerus magnus videbitur si Statium, Persium, omnesque post auream ætatem qui scripserunt poetas respexeris, non ita molestus, si, non Horatium equidem, sed Virgilium, Ovidium, repetieris, nedum Catullum, Ennium. Cum et infra hos, ultra suæ ætatis poetas processerit hac in re Prudentius, dicas merito eum Virgilianum morem restituisse. Ceterum, Horatii ad exemplar, lyricis in carminibus spondiacum exaravit versum nullum. Sunt spondiaci hexametri in Apotheosi 4 (266, 817, 864, 1038), in Hamartigenia 8 (76, 103, 144, 222, 266, 622, 722, 859), in Psychomachia duo (98, 594), in Contra Symmachum utroque libro 9 (43, 111, 189, 498; — 267, 364, 566, 856, 919).

Quemadmodum et quem ad finem Prudentius spondiacis versibus usus fuerit dicendum est. Quorum in usu vere finem in animo habere videtur nullum plerumque. Vix quatuor spondiacos versus reperio prudentianos qui ad aliquid pingendum vel animum auditoris quoquo modo commovendum dispositi sint. Quos hic memoro :

Nec non et querulis balatibus inritatus
Plenas nocte lupus studuit perrumpere caulas. (*Ham.* 222.)
Nunc inter vitæ dominum mortisque magistrum
Consistit medius ; vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque suis se motibus alternantem. (*Ham.* 722.)
Ditibus et longo fumantibus intervallo. (*Ham.* 859.)
Spiritus ipse meus descendit et edita limo
Viscera divinis virtutibus informavit. (*C. S.* II, 267.)

At plerumque spondiaco versu Prudentius utitur, non statuto fine, sed licentiam usurpans quæ conceditur, dum pudenter sumatur. Attamen, cum hoc modo se gerit, cavens plerumque ne spondæus duplex nimium hexametrum gravet, curat ut gravis versus finis mobilitate et levitate initii pensetur, ita equidem ut plerique Prudentii spondiaci versus inter citissimos prudentianos hexametros numerari debeant. Non semel quatuor dactylos duplici spondæo præponit :

Una eademque tamen rota sideris indiscretis. (*Ham.* 76.)
Ac velut artificis domini manus imperfectum. (*Ham.* 267.)

Sæpissime tres dactylos præponit; vidimus :

Ambiguum atque suis se motibus alternantem. (*Ham.* 722.)

Adde :

Ultra principium Deus egerit aut quo pacto. (*Apoth.* 266.)

Dixerat hæc et læta Libidinis interfectæ. (*Psych.* 98.)
Palpitat atque aditu spiraminis intercepto. (*Psych.* 594.)
Facta est terrigenæ domus unica majestatis. (*C. S.* I, 189.)

Non solum dactylos spondæo duplici anteponit, sed postponit quoque, ita ut spondæorum par, quasi dactylorum motu raptum, pene evanescat, et locus omnis, si omnem legas, inter citissimos sæpe et maxime præcipites totius operis sit. Sic :

Ultra principium Deus egerit aut quo pacto
Ediderit verbum, quod principio caret omni. (*Apoth.* 267.)

Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit quod adhuc res exigat aut hyacinthis
Pingere sutilibus redimitæ frontis in arce, (*Ham.* 266.)

Dixerat hæc, et læta Libidinis interfectæ
Morte Pudicitia gladium Jordanis in undis
Abluit infectum .... (*Psych.* 98.)

Oceano et silvis et collibus et speluncis
Fluminibus, ventis, fornacibus atque metallis
Adsignare Deos,........................ (*Ham.* 103.)

Concipit ac membris tabentibus interfusam
Participat de fæce sua.................. (*Apoth.* 817.)

Nonne pater dæmon, vos increpo, peccatores,
Concubitu carnis semen sitientis iniquum
Vos genuit?.......................... (*Ham.* 622.)

Adsciscendo deos majoribus incompertos
Seque peregrina sub religione dicasse, (*C. S.* II, 364.)

Moverit ira penu pro virginis ulciscendo
Non memini, nec tale aliquid vel fama susurrat. (*C. S.* II, 919.)

Vix opus est dicere in versibus spondiacis prudentianis *semper* quartum pedem e dactylo constare.

Spondiaci versus quatuor hanc habent veniam quod nomina propria ad finem habent (C. S. I, 111, 468; C. S. 566, 856).

Ne plura, quatuor tantum apud Prudentium versus spondiacos sine laude, vel sine venia, et quos improbandos omnino arbitror, reperio (Apoth. 864, 1038; Ham. 144; C. S. I, 43).

§ VI. — *De cæsura in hexametris.*

Nulla re manifestum fecit Prudentius qua cura numeros antiquæ ejusdem et probatissimæ ætatis restituere et reparare nisus fuerit, tam neglectos a suis æqualibus, christianis præsertim, magis quam cæsurarum usu et dispositione. Numerorum enim constat præcipuam vim apud antiquos in cæsuris fuisse, quæ cum cetera mutentur, scilicet periodus poeticus,

elisionum sive usus, sive fuga, dactylorum sive abundantia, sive paucitas, spondiacorum sive decus, sive deminutio, stant ipsæ et permanent, quibus obsoletis, nulla jam poesis est latina, immo antiqua. Quas autem Prudentius magno in honore habuit, quod eo magis probo quod vicini et quasi cognati poetæ, scilicet christiani, ad eam poesis antiquæ deformitatem vergunt qua non versus numeros auris metitur, sed στίχου syllabas digiti dinumerant.

Constat apud Romanos cæsurarum optimam penthemimerem esse (post tertiam arsin), post hanc, optimam heptemimerem, modo auxilietur trithemimeris (« *posthabita* | *coluisse Samo.* | »), post hanc, bonam, etsi minus in usu, trochaicam (post brevem quæ sequitur tertiam arsin : « *Non sordidus auctor Naturæ verique* |... »), post, quæ raro apud latinos versatur, bucolicam, ante quintam arsin (« *Nam neque Parnassi vobis juga,* | *nam neque Pindi.* ») Quibus dictis, et optimum hac in re usum Latinorum descripsimus, et quomodo Prudentius cæsuris usus sit una diximus. Nempe, quum 5147 hexametros exaraverit, cæsuras disposuit penthemimeres 4146, heptemineres cum trithemimeribus 448, heptemimeres sine trithemimeribus 546, trochaicas 7, bucolicam nullam. Si singula poemata discutias, reperies in Apoth. præfatione prima (sive lemmate) penthemimeres 10, heptemimerem cum trithemimere unam, heptemimeren sine trithemimere unam; in Apotheosi (ex hexametris 1084 constanti) penthemimeres 863, heptemimeres cum trithemimeribus 133, heptemimeres sine trithemimeribus 88; in Hamartigenia (ex hexametris 966 constanti) penthemimeres 757, heptemimeres cum trithemimeribus 117, heptemimeres sine trithemimeribus 91; trochaicam unam; in Psychomachia (ex hexametris constanti 915) penthemimeres 729, heptemimeres cum trithemimeribus 74, heptemimeres sine trithemimeribus 112; in Contra Symmachum utroque libro (ex hexametris 1789 constanti) penthemimeres 1452, heptemimeres cum trithemimeribus 105, heptemimeres sine trithemimeribus 226, trochaicas 6; in Peristhephanon octavo (qui 9 hexametros continet) penthemimeres 8, heptimerem sine trithemimere unam; in Peristhephanon nono (qui 53 hexametros continet) penthemimeres 47, heptemimeres cum trithemimeribus 2, heptemimeres sine trithemimeribus 4; in Peristephanon undecimo (qui continet hexametros 123) penthemimeres 112, heptemimeres cum trithemimeribus 5, heptemimeres sine trithemimeribus 6; in Dittochæo (quod ex hexametris constat 196) penthemimeres 168, heptemimeres cum trithemimeribus 11, heptemimeres sine trithemimeribus 17.

Miraris forsan quod plures heptemimeres sine trithemimeribus quam heptemimeres cum trithemiribus sunt apud Prudentium, tam sedulum ætatis aureæ, quod ad cæsuras attinet, imitatorem. Hujus rei causa est quod Prudentius sæpissime versum suum disponit ratione cum ætate probata congruenti, peculiari tamen, scilicet ad exemplar hujus Virgiliani versus :

Littora deseruere : | latet | sub classibus æquor

Qui versus, secundum usitatam et probatam scandendi rationem, *per heptemimerem sine trithemimere* cæsuram habet, tamen per trochaicam, auxiliante heptemimere scandi possit. Versuum prudentianorum quos significavi *per heptemimerem sine trithemimere* cæsuram habentes, quinta vix pars heptemimerem sinceram et simplicem habet, ut hic :

Sanguine justorum innocuo | maduisse recordans (*C. S.* I, 215)

ceteri heptemimerem cum trochaica cæsuram habent, ut hic :

Graius homo augustaque | Numæ | præfulget in arce (*C. S.* I, 103)

Qui proprius mos est Prudentio versum sistendi paululum post brevem tertiæ arsi subjectam, gravius post quartam arsin, convenienter Virgiliano versui : « *Littora deseruere...* » vel Catulliano : « *Omnia fanda nefanda malo permixta cruore* », quem utrum per sinceram heptemimeren, an per trochaicam, an per heptemimerem auxiliante trochaica scandere debeas ambigis. Quam si novam rationem sequaris, versusque prudentianos ita dispositos respicias, heptemimerem sinceram jam perraram esse experieris, nedum pollentem, constabitque, post penthemimerem, eam esse frequentissimam apud Prudentium cæsuram cujus exemplum est : « *Graius homo augustàque Numæ...* », quam, si libet, *heptemimerem cum trochaica* nominabo. Nempe hujus generis (cum sunt omnino apud Prudentium heptemimeres sine trithemimeribus 546), sunt cæsuræ 521, unde patet heptemimeres sine trithemimere simul et sine trochaica esse tantum 25. Quo lepore sit hoc genus cæsurarum ex heptemere cum trochaica constantium, jam ostendit Virgilianum « *Littora deseruere* : *latet* » ; confirmant omnes fere sic dispositi Prudentii versus. Quorum pauca exempla accipe :

.... Se deus ultro
Ediderit natumque | sibi | se fecerit ipsum (*Psych.* 251)

in quo, cum « *sibi se* » pronuntiatione junctum fere habeo, primam esse moram post « *que* », alteram minorem post *sibi* suspicor.

.... Imperii dominam sibi cedere Romam
Compulit, et simulacra | Deum | Carpeia subegit (*Psych.* 508.)

in quo majorem esse moram ad heptemimerem, sed aliquam jam post « *simulacra* » opinor.

Filius, haud dubium est, agit hæc miracula rerum
Quem video, Deus ipse, | Dei | certissima proles (*Psych.* 139)

in quo multo majorem ad trochaicam cæsuram, levem forsan ad heptemimerem, moram habes. — Ne plura, neve diutius in lubrico satis loco verser, dicendum est certissime Prudentio placuisse sæpius verbum ex

iambo constans medio versu hexametro ponere (*Deum, homo, Deus, negas, Dei, sibi, loquax, ait* — Apoth. 10, 25, 78, 122, 139, 251, 298, 315, 327, 350, 369, 374, 411, 445....), inde esse cæsuram quasi nutantem, non sine lepore, ex 5147 hexametris prudentianis decimam circiter partem, scilicet 521 hexametros sic dispositos fuisse.

Quod ad heptemimerem sine trithemimere et sine trochaica attinet, quæ improbatur, dicendum est ante omnia eam perraram esse apud Prudentium, cum 28 tantum hexametros sic disposuit (Apoth. 49, 277, 326, 328, 365, 420, 427, 697, 920; Ham; 19, 273, 394, 596, 753, 781; Psych. 39, 900, C. S. I, 204, 515, 545, 623, 644; C. S. II, 11, 47, 103, 165, 550, 1049); deinde quædam exempla perpendenda sunt :

Plerumque Prudentius, cum tali cæsura utitur accurate morem probatæ ætatis, Virgiliique imprimis sequitur, quo secundus pes tertio junjitur uno verbo. Sic Virgilius :

Mnesthea *Sergestumque* vocat | fortemque Serestem (*Æn.* IV, 288)

non aliter Prudentius

Crinibus *aureolisque* riget | coma texta catenis (*Ham.* 272)

nota hoc *que (Sergestumque, aureolisque),* quod si abesset post tertiam arsin cæsura foret, unde fit ut, et cum *que* sit, auris nescio quam minutam et fugitivam cæsuram, arsi favente, post longam tertii pedis sentit. Hoc modo fere semper ætatis probatæ poetæ heptemimere sine trithemimere utuntur; hoc modo, uno et altero vix exemplo excepto, utitur Prudentius. Nempe ex 28 heptemimeribus sine trithemimeribus, 23 hoc *que* post tertiam arsin habent (Apoth. 326, 328, 365, 420, 697; Ham. 19, 272, 394, 596, 753, 781; Psych. 39; C. S. I, 204, 515, 545, 623, 644; C. S. II, 11, 47, 103, 165, 550, 1049) Animadvertendun hujus *que* (non elisi) causa, cum ceterum heptemimeris sit, fieri ut verbum ex iambo constans medio versu ponatur *(Crinibus aureolisque* RIGET *coma....)* quod supra dictum de more Prudentio placente et confirmat.

Restant 5 heptemimeres sine trithemimeribus, sine *que* ad thesin tertii pedis. Una etiam *que* habet ad tertii pedis thesin, sed elisum :

Vascula vitalisque adsit scintilla coactis (*Apoth.* 920)

in quo versu, cum *que* evanescit elisione et pronuntiatio debeat esse : « *Vascula vitalisq adsit* », nihil habemus nisi optimam cæsuram, scilicet penthemimerem, quem ad modum innumeri optimæ ætatis versus hexametri dispositos fuisse satis constat.

Duæ mala et prava, quæ suppetit tamen, trithemimeri fulciuntur, scilicet trithemimeri per monosyllabum. Facile alteri ignosces :

Hoc verbum est | quod vibratum | patris ore benigno (*Apoth.* 49)

Altera vere suspiciosa est, cum qua fulcitur trithemimeris ex monosyllabo post ponctuationem posito constet :

.... Nec demutabilis unquam
Est Deus, aut | gignendo aliquid | sibi detrahit : atqui (*Apoth.* 277)

Denique duæ sunt quæ nec trithemimerem habent, nec umbram penthemimeris per *que* post finalem factam, nec recte trochaicæ patrocinium sibi petere possent, scilicet :

Vox evangelica Hyrcanas | quoque fervida brumas
Solvit... (*Apoth.* 427)

quem versum non excusare nitar, memorato virgiliano « *monstrum horrendum infame ingens...* », cum satis constet nullo modo easdem esse licentiæ causas, nullo modo idem decus.

Adde :

O quoties animam vitiorum peste repulsa
Sensimus incaluisse Deo; | quoties tepefactum... (*Psych.* 900)

qui versus, ut mihi videtur, hanc primum excusationem habet quod recte, more probatæ ætatis, Prudentius, heptemimere usus, secundum pedem tertio pedi uno verbo junxit, hanc post, quæ optima est, quod versus ipsa compages, tenor, motus, mire aurem, vel parum purgatam, oblectant. Interpretari hunc versum si quis vellet per trochaicam, abnuerem, omnino obstante mora interpunctionis.

Unde, ut mihi videtur, patet vix unum et alterum hexametrum apud Prudentium non bene cæsuræ ad normam accommodari (Apoth. 427, Apoth. 277, Apoth. 49).

Cœsuras habet post quintam arsin hexemetri Prudentius tantum 55 (Ap. 6, 46, 119, 189, 267, 525, 583, 670, 916, 921, 959; Psych. 60, 199, 224, 381, 602, 797; C. S. I, 15, 32, 33, 48, 70, 104, 125, 176, 238, 301, 318, 529, 559, 579; C. S. II, 60, 89, 125, 519, 393, 416, 436, 446, 524, 659, 791, 841, 918, Per. IX, 99, Per. XI, 39, 125, 181; Ditt. 35, 56, 67, 100, 108, 151, 193).

Cæsuras habet post sextam arsin quatuor (Apoth. 268; Ham. 62; C. S. I, 274; Ditt. 62).

Quod ad cæsuras post quintam arsin attinet, crebro nominum propriorum usu excusantur, ut in versu :

Assyrium postquam thalamum cervix Holofernis (*Psych.* 60)

vel nominum inusitatorum et pene externorum :

Ex quo plasma novum de consepto paradisi (*Psych.* 224)

Quædam, etsi culpandæ, non male sonant, usu amphibrachyos ad finem hexametri. Exemplum est :

Crediderim, generosæ aliquem stirpis, sed eundem (*C. S.* I, 176.)

Sunt paucæ omnino culpandæ, ut

> Mens humilis, regina quidem, sed egens alieni (*Psych.* 199.)

vel

> Transfundi in sobolem credatur fons animarum. (*Apoth.* 916)

vel

> Diffluit in luxum cum semiviro comitatu (*C. S.* I, 125)

Quod ad cæsuras post quintam arsin, ex quatuor duæ excusandæ sunt, cum sint pedestris sermonis et argumentalis quasi signa, ut fit tam sœpe in epistolis et satiris Horatii (« *Adde super, dictis quod non levius valeat : nam...* » Hor. Sat. II, 7, 78.— Vide Waltz : *Variations de la langue et de la métrique d'Horace,* p. 227) Sic in Prudentio :

> Hoc solum scimus, quod traditur esse Deum, quem
> Non genitus genitor generavit, et unus et unum. (*Apoth.* 268)

et

> Si vim mentis hebes stupor obsidet, adspice saltem
> Obvia terrenis oculis elementa, quibus se
> Res occulta Dei dignata est prodere signis (*Ham.* 61.)

Criminationi duas tantum concedo hujus generis cæsuras :

> Adrianique Dei Ganymedem non cyathos Dis
> Porgere................................ (*C. S.* I, 274)
> Hospita sanctorum meretrix, tauta est fidei vis (*Ditt.* 62)

§ VII. — *De Hemœoteleutousi.*

Simili sono desinentes versus accurate fugit Prudentius, quos, ut vidimus, non semel quærere Christiani poetæ videntur. Quatuor tantum sic dispositos Prudentii incuria fudit :

> Hoc esse signum præscii
> Norunt repromissæ spei,
> Qua nos soporis liberi
> Speramus adventum Dei (*Cath.* I, 45)

§ VIII. — *De Versuum inter se copulatione (Hexametri).*

Periodus poeticus apud Prudentium plerumque brevior est, nisi si per enumerationem et nominum exaggerationem producitur (ut Per. X, 226-335). Fit tamen ut periodus, sine isto adminiculo apte et canore per amplum spatium evolvitur. Unum tantum exhibebo exemplum :

> Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
> Quidquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,
> Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,

Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrant, Christum sonat, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur. (*Apoth.* 586)

Disticha fere semper, optimo latinorum more, recte sensu secernuntur. Nunquam deprehendo pentametrum, cujus, ut apud græcos et apud Catullum, sensus in medio hexametro sequenti concluditur. Plerumque sensus per distichon integer est et punctum cadente pentametro ponitur; rarius sensus per duplex distichon integer est, et punctum cadente secundo pentametro ponitur. Recte distinctorum distichorum exempla sunt omnia disticha; culpæ in hac re exemplum reperio nullum. Vix tetricus arbiter solutiora hæc et paululum elumbia æstimabit :

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
  Propter ubi adposita est ara dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa eademque
  Custos fida sui martyris adposita
Servat ad æterni spem vindicis ossa sepulcro,
  Pascit item sanctis Tibricolas dapibus. (*Perist.* XI, 169)

§ IX. — *De Lyricis — De stropharum usu.*

Cum de lyricorum versuum ratione a Prudentio accepta agitur, ante omnia memorandnm quo discrimine ab ethnicorum hymnis Christianorum hymni distent. Stropha, apud græcos poetas et latinos ethnicos, est compages versuum dissimilibus numeris ita disposita ut mutato numero sentiat auris modulationis circuitum, id est stropham, conclusum esse. Simplicissimum exemplum, distichon elegiacum memento. Sic apud gallicos poetas seu breviori versu ad finem strophæ posito, seu certo homœoteleutonton sonorum ordine monetur auris stropham cadere. Finge autem tibi nulla ampliorum et breviorum versuum certa dispositione, nulla homœoteleutonton certa ratione (vel ratione certa sed parum manifesta) aurem moneri. Nulla re palam erit stropham concludi, nisi si semper sensus post certum numerum versuum (tres, quatuor, sex) concluditur; quod si fit, non vere numeris, sed interpunctione auris ducitur. Hoc stropharum genus, interpunctione secretarum, tantum ab illo abhorret, ut illud gallice *strophes* nomine dicamus (nempe στρέφουσι, circuitum exhibent), hoc *stances* (nempe *stant* ad punctum) nuncupemus. Christianorum autem hymni plerumque *stances* sunt, non vere strophæ. Scilicet Christiani poetæ versum apud lyricos poetas ethnicos usitatum eligebant, sive dimetrum iambicum, sive dactylicum tetrametrum, post ex ordine hujus generis versus exarabant, hac tantum cura adhibita ut semper quarto, vel quinto constanter sensum concluderent; quo facto, quemque quatuor versuum vel quinque periodum, stropham habebant. Sensus autem cum

non semper isto loco tam vere conclusus quam in illo videtur, nutat fluctuatque stropharum istiusmodi ordo; unde mox, id est ad quintum seculum, factum est ut alio signo, quo strophæ circuitus enucleate significaretur, opus foret, et homœoteleutonta pedetentim irreperent, quœ, S. Ambrosio florente, nullo in honore erant.

Quemadmodum Prudentium vidimus medium inter ethnicos et christianos, quod ad multa attinet, stantem, sic et in præsenti re, antiquæ latinæ poesis partim restitutorem, christianæ hymnologiæ partim participem eum videmus. Sunt enim ex Prudentianis hymnis ad exemplar Horatianorum, Catullianorum operum dispositi, sunt qui Ambrosianos hymnos imitentur, sunt quorum dispositio a Prudentio inventa est.

Qui exemplaria probatæ ætatis imitantur sunt.

(A) Stropha sapphica (Cat. VIII, Per. IV)

(B) Metrum iambicum secundum ex iambico trimetro et iambico dimetro constans (Apoth. præf.)

(C) Metrum elegiacum (Perist. VIII, XI)

(D) Metrum pythiambicum secundum (Perist. IX)

(E) Metrum archilochium quartum (Perist. XII)

(F) Glyconicus κάτα στίχον, Senecæ ad exemplar (C. S. II, præf.)

(G) Metrum hipponacteum (ex dimetro trochaico catalectico et iambico trimetro catalectico constans) (Epilog.)

Qui ad exemplar æqualium, Christianorum imprimis, dispositi sunt ii sequuntur:

(H) Stropha ex quatuor dimetris iambicis constans, ad exemplar S. Ambrosii, S. Hilarii, Victorini (Hymni de trinitate I) (Cath. I, II, XI, XII, Perist. II, V)

(I) Stropha ex quinque dactylicis tetrametris catalecticis, ad exemplar Damasi (Hymnus de Sancta Agathe) (Cath. III Perist. III)

(J) Stropha ex quatuor hexametris constans, sive tetrastichon, nonnunquam, sed fortuito apud ethnicos probatæ ætatis occurrens, Damasi ad exemplar vere disposita (Dittoch.)

(K) Alcaicus hendecasyllabus κάτα στίχον ad exemplar Claudiani (Perist. XIV)

Qui omnino, nisi fallor, vel quos Prudentius imitatus est deleti sunt, a Prudentio ultro dispositi sunt, ii sequuntur :

(L) Stropha ex tribus phaleciis hendecasyllabis constans (Cath. IV, Perist. VI)

(M) Stropha ex quatuor asclepiadeis minoribus constans (Cath. V. C. S. I, præf.)

(N) Stropha ex quatuor iambicis dimetris catalecticis constans (Cath. VI)

(O) Stropha ex quinque trimetris iambicis constans (Cath. VII, Perist. X, Psych. præf., Ham. præf.)

(P) Stropha ex tribus trochaicis septenariis constans (Cath. IX, Perist. I)

(Q) Stropha ex quatuor parœmiciacis (anapesticis dimetris catalecticis) constans (Cath. X)

(R) Archilochius major κάτα στίχον (Perist. XIII)

(S) Stropha ex quinque glyconicis constans (Perist. VII.

(T) Stropha ex uno glyconico, uno asclepiadeo minore, uno asclepiadeo majore constans (Præf. universa).

Ex hac nomenclatura jam apparet quam varietatis sedulus amator Prudentius fuerit, cum, poemata lyrica 34 agressus, viginti lyrici carminis species diversas attigerit. Palam quoque est Prudentium in diversas regiones fere uno tempore tetendisse. Quem enim videmus et antiquas lyrici carminis species restituentem (A.... G), et suo tempore usitatas lyricorum carminum species usurpantem (H.... K), et, more quoque æqualium, lyricos versus, olim per strophas tractatos, κάτα στίχον tractantem, et novorum inauditorumque lyricorum systematum auctorem.

§ X. — *Quomodo metrum ad sensum accommodaverit.*

Non sat est, et parvum nonnunquam decus est, novas lyrici carminis species proferre; oportet et quos protuleris et quos usurpaveris apte proposito conducant hæreantque. In qua re mihi videtur Prudentius pulchre processisse. Si enim singula ejus poemata lyrica perpendemus, manifestum, credo, nobis erit plerumque metrum rei convenienter fuisse electum. Cathem. I, qui de prece matutina est, simplex et ad plebeium sensum satis accommodatus, metrum Ambrosianum habet, sine ulla mutatione. Itidem Cath. II, ad idem genus, quod ad sententias attinet, pertinens, et Cath. XI, qui nihil aliud est nisi de nativitate Jesu carmen, quod gallice *Noel*, teutonice *Weihnachtslied* nuncupamus. Itidem Cath. XII, qui de Magorum adoratione est, et Peristephanon II, de Laurentii passione, quem vidimus non solum plebeii generis sed vulgaris interdum, quod ad sensus attinet, esse, et Perietephanon V, de Vincentio, ejusdem vel similis generis.

Cathemerinon III (ante cibum) et Peristeph. III (de Eulalia) gravi et eleganti metro sunt, quo sententia ampla et meditatio grandis exprimatur.

Cathemerinon IV et Peristeph. VI ternum versum exhibent, cum et Cath. IV de trinitate disserat (vide præcipue vers. 14 et 19.) et Perist. IV de tribus martyribus sit [1]

Cathemerinon V (item C. S. I, præf.) populari metro est et sermoni prope accommodato (« *Mæcenas atavis edite regibus* ») quod et *vigiliis* christianorum et præfationi magis convenit. (Nota in Cath. V hoc metrum, scilicet asclepiadeum minorem, per strophas esse dispositum, in Præf. C. S. I, κάτα στίχον esse).

[1] Cf. Ebert p. 256. — Quod ad Perist III attinet ab Ebert abhorreo qui turbulentæ Eulaliæ indoli metrum congruere existimat.

Cath. VI (ante somnum) simplex et ingenuus, quasi vespertinæ precis supplementum, fere metrum ambrosianum, una syllaba deficiente (iambicus dimeter catalecticus pro iambico dimetro) nescio quid habet quod cunas motas numerose refert. (1)

Cath. VII (jejunantium) simplicissimus et quasi nudus metro quo didacticorum, popularium, comicorum poematum scriptores usi sunt (iambicus trimeter). — Peristephanon X, qui mera narratio est, eodem metro scriptus est; — eodem, quod recte factum est, præfationes Ham. Psych.

Cath. VIII (post jejunium) et Perist. IV (de decem et octo martyribus Cæsaraugustanis) eleganti et concinno metro, stropha sapphica, sunt. Nempe uterque venustis imaginibus et fere festivis refertus est :

> Impiger pastor revocat lupisque
> Gestat exclusis humeros gravatus, [*ovem*]
> Inde purgatam revehens aprico
> Reddit ovili :
> Reddit et pratis viridique campo,
> Vibrat inpexis ubi nulla lappis
> Spina, nec germen sudibus perarmat
> Carduus horrens (*Cath.* VIII, 40)

Sic Peristephanon IV, quem bene novit lector, ubi hispanicæ urbes finguntur canistris ossa suorum martyrum ferentes :

> Plena magnorum domus angelorum
> Non timet mundi fragilis ruinam
> Tot sinu gestans simul offerenda
> Munera Christo (*Perist.* IV, 5)

Cathemerinon IX (de Christi magnis rebus) gravi et amplo metro est, epico simul, quod et ab antiquissimis epicorum scriptoribus et a sententiarum amatoribus poetis usurpatum erat (trochaici septenarii). — Perist. I, gravissimus per se, et qui Perist. seriem instituit, eodem metro est. Nota Prudentii omnino, ut videtur, propriam propensionem, qua tam crebro, cum stropham novam profert, ternos versus ad stropham efficiendam innectit (Præf. univ., Perist. VI, Cath. IX, Perist. I) quod metrum, vel versuum nectendorum ratio hæc, quo in honore futura esset neminem fugit.

Cath. X (ad exsequias defuncti) strophas exhibet ex quatuor parœmiacis constans, quod metrum est breve, concitatum, quo recte animi impetus ad cælestia templa tendentis effingitur :

> Jam mæsta quiesce, querela,
> Lacrimas suspendite matres,

(1) Cf. eundem p. 249.

Nullus sua pignora plangat
Mors hæc reparatio vita est.
. . . .
. . . .

Sed dum resolubile corpus
Revocas, Deus, atque reformas,
Quanam regione jubebis
Animam requiescere puram?
. . . .
. . . .

Illic precor, optime ductor,
Famulan tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exsul et errans (*Cath.* X, 116, 149, 165)

Perist. VIII, qui nihil fere est nisi epigramma, metrum elegiacum bene recepit. — Idem metrum recte Peristephanon XI, qui epistola est, convenit.

Perist. IX qui, ut ita dicam, fabella est a peregrinatore post reditum narrata sibi et aliis, metrum pythiambicum secundum accepit. Quod non possum non improbare. Nam Horatius, semel hoc metro usus ad gravissimam rem et magnificum sermonem id accomodavit :

Altera jam teritur bellis civilibus ætas
Suis et ipsa Roma viribus ruit (*Epod.* XVI)

quod, ceterum, hexametri præsentia suadere videtur. Prudentius contra hoc metrum ad fabellam quæ scimus quam sit levis momenti, fere puerilis, accommodat.

Perist. XII metro archilochio quarto est. Manifesta est Horatii, quod ad metri electionem attinet, imitatio. Si enim Horatiano uni exemplo fidendum est, hoc metrum bene ad lætitiam et publicam festivitatem accommodatur :

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni
Trahuntque siccas machina carinas (*Carm.* I, 4)

Sic Prudentius hoc metrum petit ut ovantem omnem Romam de festa die apostolorum Petri et Pauli describat :

Plus solito coeunt ad gaudia : dic, amice, quid sit?
Romam per omnem cursitant ovantque (*Perist.* XII, 1)

Perist. VII strophæ ex quinque glyconicis constant. Hic, me arbitro, ut supra (quod attinet ad Perist. IX) studio variandi raptus paululum errat Prudentius, qui, ut mihi videtur, nullam habuit causam cur Quirinum martyrem glyconicis celebraret, nisi quod non jam hoc metro (nisi κάτα στίχον C. S. II, præf.) usus esset. Stropha autem ex quinque glyconicis

constans gracilis habet aliquid et subsilientis quod non martyrium decet. Tibi dijudicandum trado : sic poema concluditur :

> Orantem simul halitus
> Et vox deserit et calor;
> Scandit spiritus ardua :
> Fit pondus grave saxeum;
> Corpus suscipiunt aquæ (*Perist.* VII, 86)

Perist. XIII fere solus est ex hymnis (sive Cathemerinon sive Peristephanon) qui non strophas, disticha saltem, exhibeat. Metrum est Archilochius major κάτα στίχον. Sedatum est hoc metrum et sine impetu, non inepte hic usurpatum cum potius Cypriani gloriam sibi canendam proposuerit poeta quam supplicium dolendum, et totum poema ad narrativum et παραινετικὸν genus pertinet :

> Unus erat juvenum doctissimus artibus sinistris,
> Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
> Sæpe etiam magicum cartamen inire per sepulcra,
> ....
>
> Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cœli,
> Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
> Disserit, eloquitur, tractat, docet........... (*Perist.* XIII, 19, 99)

Alter hymmus κάτα στίχον est Agnetis virginis Passio (Perist. XIV) Alcaici hendecasyllabi continui sunt, non sine lepore, non ita tamen ut dicam nullum fuisse aliud metrum quod posset rei convenire.

Restat Dittochæon quod ex tetrastichis constat. Opinio est vulgata has strophas tabulis pictis adhæsisse quarum quasi argumenta erant. Quod si verum, non aliud erant nisi epigrammata ad Damasi exemplar composita. Qui plerumque tetrastichi formam affectavit.

Nihil dicam de utrinque extremis Prudentiani operis partibus, præfatione universa et epilogo, qui videntur lusus esse metrici non magni ponderis. Præfatio universa strophas habet ex ternis versibus constantes, quorum primus glyconicus est, secundus asclepiadeus minor, tertius asclepiadeus major. Neminem fugit asclepiadeum et glyconicum socialiter conjungi (Hor. Carm. I, 6, 15, 24, 33, II, 12, III, 10, 16; IV. 3...) Prudentius Horatianum systema obtinuit quo Asclepiadeus minor glyconico subjicitur : « *Sic te Diva potens cypri, Sic fratres Helenæ, lucida sidera...* » (Carm. I, 3); post, choriambicum quasi motum secutus, minori asclepiadeo majorem supperaddidit

> Per quinquennia jam decem
> Ni fallor fuimus : septimus insuper
> Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili (*Præf. universa*)

Epilogi nihil aliud est metrum nisi Horatianum quod dicitur hipponacteum, ex trochaico dimetro catalectico et iambico trimetro catalectico

alternis constans (« *Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar* »), hoc tantum discrimine quod Horatius (vel potius Horatii editores), nescio quam ob causam, hoc metrum per strophas e quatuor versibus constantes discernit, Prudentii contra editores, recte, me arbitro, metrum continuum faciunt ut in Horatianis epodis :

Immolat Deo patri
Pius, fidelis, innocens, pudicus
Dona conscientiæ
.... (*Epilogus*)

Nunc ad singula veniamus poemata lyrica, et quomodo fides latinas Prudentius trataverit introspiciamus.

§ XI. — (A) *De sapphicis* (Cath. VIII, Perist. IV.)

Studiose et restricte servat hujus systematis leges. Cæsuram heptemimerem ponit semper in sapphicis; elisionem ad cæsuram facit nunquam; recte adonicum ab extremo sapphico secernit, hiatum ad finem tertii sapphici sinens esse :

Ardet, et splendor parilis duorum
Igne corusco. (*Perist.* IV, 27)

Strophas inter se, quod non mos Horatianus exigit, enucleate interpunctione secernit, cum hanc consuetudinem strophas monocolas componendo ceperit. Perraræ sunt exceptiones, et ipsæ venustæ, leporis causa quæsitæ, non fortuitæ. Exempla sunt :

Ergo ne limum fragilem solutæ
Deserant vires et aquosus albis
Humor in venis dominetur ægrum
Corpus inervans,
Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit, sua quemque cogit
Velle potestas (*Cath.* VIII, 61)

Confer Peristephanon IV, 8 :

Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo,
Cum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente
Gentibus justam positurus æquo
Pondere libram. (*Perist.* IV, 8)

Nil de sapphicis igitur nobis dicendum nisi religiose in hac re Prudentium optimæ ætatis sese imitatorem præbuisse.

§ XII. — (B) *De metro iambico secundo* (Apoth. præf.)

In trimetris cæsuram penthemimerem servat semper.

In trimetris *plerumque* christianorum poetarum morem sequitur quo tantum spondæi et iambi usurpantur (Vide hymnos Ambrosianos) quod jam non pedes pendebantur, sed syllabæ numerabantur; ostendit tamen vere lyricam aurem se habere, cum *nonnumquam* pedes ex tribus syllabis constantes immittat, arsin etiam solvat :

Fax so|lă fĭdé|i est præ|feren|da gres|sibus. (*Apoth.* 39)
Lăpĭs ēc|ce nos|tro fi|xus of|fensa|culo est (*Ibid.* 33)
Scrobis | laten|tis pro|nuxs in|fŏveām | ruet. (*Ibid.* 13)

In dimetris nihil animadvertendum. Semel anapestum immisit, primo pede :

Pătĭtūr | colo|nus cres|cere (*Ibid.* 48)

Alias semper primus pes spondæus est, secundus iambus, tertius ad libitum vel spondæus vel iambus (sæpius spondæus) quartus iambus (vel pyrrichus).

§ XIII. — (C) *De metro elegiaco* (Perist. VIII, XI).

Metrum elegiacum nimium ἀρχαικῶς tractavit Prudentius non si distichorum discrimen respicias, sed quod attinet ad pentametri finem. Nempe non satis cavet ne pentameter trisyllabo vocabulo concludatur. Trisyllabum ad finem pentametri posuit Perist. VIII, 10, 12; Perist. XI, 8, 10, 14, 24, 28, 50, 62, 64, 80, 54, 108, 110, 116, 148, 152, 154, 166, 178, 180, 184, 186, 190, 214, 212, 218, 220, 224, 228, 242, 244, id est ex 246 pentametris 32. Nil aliud noto.

§ XIV. — (D) *De metro pythiambico secundo* (Perist. IX).

Hoc metrum tractando, quod sæpe fieri videmus, non solum normam servat Prudentius, sed adstrictius ei inservit quam ipsi probatæ ætatis scriptores, non hac mollitudine adhibita qua Horatius metri rigorem temperat. Horatius enim, exempli gratia, non semper sensum disticho concludit; sed periodos ducit, omnes equidem qui post aliquem iambicum versum cadunt (Vide Epod. 16, vers. 2.... 10). Apud eumdem pentameter non semel incurrit in hexametrum seu per cæsuram heptemimerem (Ep. 16, 19) seu per cæsuram trithemimerem :

Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis (*Ep.* XVI, 31)

seu vel per cæsuram bucolicam :

Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege : mollis et exspes (*Ibid.* 37)

(Nescio quid cæsuræ bucolicæ studium in animo Horatii videtur fuisse hoc in poemate. Vide Epod. 16, vers. 37, 47, 53).

Prudentius plerumque sensum disticho concludit. Periodi duo disticha continentes sunt tantum sex (Perist. IX, 21-24, 33-36, 51-54, 61-64, 89-92, 101-104); periodus tria disticha continens est unus (7-12).

Pessimum cæsuræ bucolicæ, vel potius cæsuræ prætermissæ, exemplum in hoc poemate est :

Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat. (*Perist.* IX, 5)

Trimeter iambicus idem est qui alias apud Prudentium, fere semper ex iambis et spondæis constans. Invenitur tamen, quasi Prudentius voluisset probare non se absolute Christianorum poetarum morem sequi, anapestus primo pede :

Tŏtĭdēm|que gutt|æ vuln|erum |. stillant | simul (58)

alter quinto pede :

Raptim|que punc|tis dict|a præ|pĕtĭbūs | sequi (24)

§ XV. — (E) *De metro archilochio quarto.* (Peristephanon XII).

More Horationo utitur Prudentius in hoc metro, leges sibi rigidiores, ut plerumque, injungens. Scilicet, cum *plerumque* Horatius dactylum habet principio archilochii, Prudentius habet hic dactylum *semper;* cum *plerumque* Horatius spondæum habet principio iambici-trochaici, Prudentius hic spondæum ponit fere semper (scilicet exceptis versibus, qui primo pede iambum habent, 22, 24, 44, 60, 66).

Raro iambum tertio pede habet. Quatuor tantum aut tres versus hunc pedem tertio loco exhibent 44, 30, 20, 62 (62 dubius est « *lævam deinde fluminis petemus* » Prudentius enim sic scandit : *lævam*| *dein*|*de flu*|*minis*... scilicet *de* gratia *fl*)

Cæsuram archilochio majori propriam plerumque servat, id est cæsuram bucolicam (« *Plus solito coeunt ad gaudia* :| *dic, amice, quid sit* » Ter eam prætermittit, ut credo, ex industria. Accipe exempla :

Perist. XII, 19 :

Noverat ex humili cælum citius solere adiri

in quo versu citiorem forsan impetum significare voluit;

Perist. XII, 53 :

Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus

ubi eadem excusatio, minus equidem, valeret potest;

Perist. XII, 59 :

> Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato

ubi consilium manifestum est, et, me arbitro, probandum.

More Horatiano cæsuram penthemimerem semper archilochio majori imponit.

Horatio libet quaternos in hoc metro versus secernere (Carm. I, 4). Prudentius plerumque binos interpunctione secernit, rarius quaternos.

§ XVI. — (F) *De Glyconico* κάτα στίχον (C. S. II, præf.)

Glyconicum semper sic scandit Prudentius - - - ᴗ ᴗ - ᴗ ᴗ quod non sine tædio est. Una exceptio est (vel si Perist. VII respicias) : Trochæum habet versus 39 præfationis C. S. II

§ XVII. — (G) *De metro hipponacteo* (Epilogus)

Non litem componere nitar quæ de hoc metro est. Editores enim dissentiunt, cum alii non hipponacteum in epilogo videant, alii Prudentium imitatum esse credunt horatianum carmen : « *Non ebur neque aureum...* (Carm. II, 18). His tamen non possum non paululum assentiri. Prudentius enim (v. 7, 8) suum metrum videtur enucleate significavisse cum dixit :

> Nos citos iambicos
> Sacramus et rotatiles trochæos

unde alternos iambicum trimetrum catalecticum et trochaicum dimetrum catalecticum sese usurpasse videtur significare. Attamen notandum est poetam, quemadmodum trochaicos septenarios ternos interpunctione secernit (Cath. IX. Perist. I), sic in epilogo disticha e trochaico et iambico constantia terna secrevisse (Vide in Epilogo punctum post versum 6 et 12, 18, 24, 30, vel 36 si, cum Heinsio, credimus non integrum carmen permansisse) unde suspicandum esset versum novum asynartetum ex trochaico dimetro catalectico et iambico trimetro catalectico constantem hic a Prudentio creatum fuisse. Quod non credo. Nam cum Prudentius versum ita compositum profert (Cath. IX, Perist. I) perraro eum asynartetum facit (vide infra § XXVI de metro trochaico septenario). Si autem Epilogi versum fingas esse ex iambico trimetro catalectico et trochaico dimetro catalectico compositum plures ex ordine asynartetos versus habebis (23-24, 25-26, 29-30)

Credamus igitur epilogum ad exemplar horatiani « *non ebur neque aureum* » factum fuisse. Quo dicto, nil addendum nisi Prudentium ad exemplar apte sese accomodavisse, cum dimetrum trochaicum sic faciat - ᴗ - ᴗ - ᴗ ⏓, nulla substitutione admissa, iambicum purum et exhibeat,

solo spondæo interdum (10, 14, 18, 20, 22, 24, 30, 32) in tertio pede admisso.

§ XVIII. — (H) *De Stropha quatuor iambicorum dimetrorum* (Cath. I, II, XI, XII, Perist. II, V.)

Hæc est stropha tam his temporibus a poetis chistianis vulgata, in tanto apud Christianos honore. Quam Prudentius sæpius quam quamvis aliam usurpavit, morem christianorum secutus, non tamen omnino ad christianorum normam sese accommodans. Hi enim, seu quomodo canantur hymni curant, seu (numerorum rationem dediscentes veram) numerant syllabas, nedum numeros legitimos calleant, utramque forsan ob causam, nullum in iambico dimetro pedem præter spondæum et iambum accipiunt, ita ut non tam trimeter quam octosyllabus versus videatur. Prudentius medius inter christianos et ethnicos hac in re stat. Plerumque, et quasi norma imposita sibi, iambicum dimetrum sic ponit.

– – ᴗ – – – ᴗ ᴗ̱

Sed sæpe iambum primo ponit loco. Rarius primo loco anapestum accipit (Cath. I, 6, 60, 92; II, 40, 71, 86, 103, 105; Cath. XI, 16, 34, 48, 79, 98, 92, 110; XII, 2, 42, 67, 96, 112, 116, 120, 178, 187; Perist II, 6, 11, 18, 34, 52, 122, 124, 137, 147, 184, 198, 211, 256, 325, 348, 371, 390, 412, 447, 473, 557; V, 39, 44, 130, 139, 142, 151, 158, 174, 187, 195, 240, 250, 259, 266, 280, 299, 307, 319, 331, 352, 467, 476, 370, 388, 392, 411, 422, 428, 453, 536, 557, 511, 562).

Rarius, sed nonnunquam, anapestum tertio pede ponit (Cath. XI, 73; XII, 57, 140, 162, 191; Perist. II, 8, 170, 268, 289, 367, 368, 423, 511, 514; V, 19, 170).

Rarius, sed non semel, arsin solvit, quod horrent christiani poetæ, et fere omnes vergentis ætatis, cum græci tum latini, poetæ. Tribrachyn enim secundo pede ponit ad morem probatæ ætatis regressus (Perist. II, 83: « *Et summa pietas creditur* » ; Cath. XII, 141 : « *Sic stulta Pharaonis mali* ».)

Non sine consilio ceterum sic extra suum morem procedit, sed sæpius ut structura ipsa versus aliquid describat. Exemplum est *vigilate,* citus et præceps, in principio versus bis positus :

Vigilate : jam sum proximus. (*Cath.* I, 8)
Vigilemus : hic est veritas. (*Cath.* I, 92)

§ XIX. — (I) *De Stropha quinque dactylicorum tetrametrorum catalecticorum* (Cathemerinon III, Peristephanon III).

Hanc stropham Prudentius a Damaso mutuatus est, levi mutatione adhibita. Damasus enim Hymnum S. Agathes e dactylicis trimetris

composuit per strophas quatuor versuum distributis. Huic hymno, qui ceterum quasi cognatus Prudentianorum est, et sæpe Prudentio assignatus est (vide Baehr) (1) incrementum, ut ita dicam, Prudentius addidit, stropham producens et quinto versu gravans, non sine lepore:

O crucifer bone, lucisator,
Omniparens, pie, verbigena,
Edite corpore virgineo,
Sed prius in genitore potens
Astra solum mare quam fierent. (*Cath.* III, 1)

Pauca de hoc metro dicenda sunt, cum prope nulla sunt illius exempla ante Prudentium (Septimii Sereni aliquos versus in *Poetis minoribus* Wernsdorf). Mihi videtur non semel Prudentius in hoc metro, quod mera cæsura heptemimeres hexametri est, rationem hexametri secutus esse, scilicet cæsuram trithemimerem qua heptemimeres fulciatur quæsiisse:

O crucif*er* bone lucisator
Omnipar*ens*, pie, verbigena (*Cath.* III, 1)
Artific*em* modulata suum (*Cath.* III, 35)
Impedi*ent* et abire vetant (*Cath.* III, 45)
Supplici*um* sibi dulce rata (*Perist.* III, 15)
Caniti*em* meditata senum (*Perist.* III, 25)

Nonnunquam penthemimerem ponit, trisyllabo vocabulo ad versus finem secluso, non infeliciter:

Te sine dulce nihil, Domine! (*Cath.* III, 81)

Hoc metri præcipua virtus est velocitas et impetus, unde dixit Ebert (2) metrum Eulaliæ indoli vehementi et procellosæ (*sturmischen*) recte congruere (in Perist. III). Prudentius autem ipse videtur significare hoc metrum continuum et apte implicitum esse cum dicit:

Ista comantibus e foliis
Munera virgo puerque date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico
Vilia, marcida, festa tamen (*Perist.* III, 206)

§ XX. — (J) *De stropha quæ dicitur tetrastichon hexametrum* (Ditt.)

Nil notandum (vide supra § 10, § 29, § 5, § 4) nisi paulo pejorem hoc in opere versificationem esse, quod a pluribus animadversum est (vide Baehr, p. 82). In hoc opere enim inveniuntur unus monosyllabus elisus, et qui ommino ab elisione abhorret, scilicet *qui:*

Cæde cruentatum laudat, qui evolvere librum (*Ditt.* 195)

(1) *Geschichte der Römischen literatur* p. 47 et notul. 3.
(2) *Geschichte der Christlich Lateinischen literatur*, p. 254.

insuper octo cæsuræ extremis in pedibus (post quintam arsin 7, post sextam una. — Vide supra § VI). Duo exempla accipe quæ nimium manifestum facient quam incompti sæpe Dittochæi versus sint:

Adparet scissum fractis foribus monumentum (*Ditt.* 151)
Seque Deum genuisse, hominem regem quoque summum (*Ditt.* 109)

§ XXI. — (K) *Alcaïcus hendecasyllabus* κάτα στίχον (Perist. XIV).

Quemadmodum fere semper iambicum dimetrum per spondæum, non per iambum incipit, sic alcaicum hend. Prudentius ita *semper* disponit:

– – ᴗ – – ᴗ ᴗ – ᴗ ᴗ̲

non sine tædio aliquo, cum syllabarum numero immutabili etiam pedum immutabiles vices superaddit. Legitime ceterum hoc metro utitur, cæsuram penthemimerem omittens *nunquam*, monosyllabum ad cæsuram ponens *numquam*, elisionem ad cæsuram sinens esse vix semel vel bis et recte tamen :

Agnes sepulcrum est | Romulea in domo (*Perist.* XIV, 1)
Duplex corona est | præstita martyri (*Perist.* XIV, 6)

Nil igitur animadvertendum nisi Prudentium, hic ut plerumque, rigidas metri leges rigidiores sibi fecisse.

§ XXII. — (L) *Stropha trium phalæciorum hendecasyllaborum* (Cath. IV, Perist. VI).

Phalæcio versu utitur Prudentius eodem modo quo Catullus et Martialis, sed, instar omnium poetarum qui post Augustum exstiterunt nec iambum nec trochæum *unquam* primo pede admittit, in quo usu quasi vicinitatem hexametri valere suspicandum est. Ausonius enim (Epistola 4) nihil aliud esse phalæcium arbitratur nisi versum

Qui penthemimeren habet priorem
Et post semipedem duos iambos

Non aliter sentit Prudentius, et constanter sic phalæcium ponit:

– – – ᴗ ᴗ – ᴗ – ᴗ – ᴗ̲

Cæsuras usitatas usurpat, scilicet post spondæum et dactylum, (– – – ᴗ ᴗ | – ᴗ – ᴗ – ᴗ̲), vel post penthemimerem (– – – ᴗ ᴗ – | ᴗ – ᴗ – ᴗ̲) altera toties quoties altera fere usus. Nempe in duobus hymnis (Cath. IV, Perist. VI) cæsuras penthemimeres habes 141, cæsuras post dactylum 105. Sunt versus qui nullam cæsuram habent 18 (Cath. IV, 43, 70, 87, 88, 89, 91; Perist. VI, 15, 34, 45, 51, 56, 57, 74, 93, 102, 104, 106, 110, 162).

Notandum est Prudentium, cum cæsura utitur post dactylum, persæpe post dactylum monosyllabum ponere (Vide Cath. IV, 13, 15, 20, 35, 49, 52, 63, 65, 75, 78, 79, 94). Unde colligere licet non parum in hoc metro ad penthemimerem pronum esse.

§ XXIII. — (M) *Stropha quatuor asclepiedeorum minorum* (Cath. V. C. S. I, præf.).

Asclepiadeum minorem tractavit Prudentius omnino Horatii instar (vid. Carm. I, 1 : « *Mæcenas ataris edite regibus* ») Nunquam cæsuram penthemimerem omisit. Nunquam aut fere nunquam præcedentis versus sensus in sequentem incurrit (ut apud Horatium « *Sunt quos curriculo pulverem olympicum Collegisse juvat,....* », « *nec partem solido demere de die Spernit,...* ») quæ virtus et venus Horatiana est. Strictim quaternos versus secernit in Cath. V, ubi vere strophas de more sua ætate vulgato ponere voluit. Metrum continuum est in C. S. I præfatione, ut in primo primi libri Horatii carmine.

§ XXIV. — (N) *Stropha quatuor iambicorum dimetrorum catalecticorum* (Cath. VI).

Sic plerumque Prudentius iambicum dimetrum catalecticum ponit :

– – ⏑ – ⏑ – ⏓

nonnunquam :

⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

raro :

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏓

Nempe cum Cath. VI ex 151 dimetris iambicis cat. constet, sunt in primo loco spondæi 102, anapesti 32, iambi 7.

§ XXV. — (O) *Stropha quinque trimetrorum iambicorum* (Cath. VII, Perist. X; Psych. Præf.; Ham. Præf.)

Licentiam videtur Prudentius majorem (non magnam dico) sumpsisse in trimetris iambicis, populari metro et nato rebus agendis, quod præsertim in narrationibus usurpat, quam quolibet in alio. Dactylum enim hic videmus iambis mixtum, quod in iambicis versibus horrere noster videtur (vide supra § XVIII). Dactylus apparet primo pede trimetri iambici Perist. X, 31, 791, 1004;
tertio pede Perist. X, 644, 841, 896, 948 (1), 963, 981;

(1) Scando « Nātū|ră flūx|a āc tĕnŭ|ĭs īn | sŏlĭdūm|cŏĭt » cum Prudentius plerumque tĕnŭĭs ponat. Licet scandere : « Nātū|ră flūxa | āc tĕ|nuĭs īn | sŏlĭdūm | cŏĭt.»

quinto pede (quod non est legitimum) Perist. X, 667 : «*Lactantis oris indolem : Filiole, ait*».

Anapesti sæpius primo pede apparent; nempe in Cath. VII octo, cum sint versus 220, videas, in Perist. X fere 100 (95), cum sint versus 1140; nonnunquam in quarto (quod enorme est); duo sunt exempla : Per. X, 259, 952.

Anapesti sunt quinto pede Cath. VII : 2 (10, 4), Perist. X : 32 (quod non enorme est).

Tribrachys secundo, tertio, quarto pede apparet secundum normam, et, quod non legitimum est, in primo, sed semel (Perist. X, 675).

Perraro bis apparet in uno versu anapestus (Perist. X, 125 primo et quinto pede) vel tribrachys. (Perist. X, 978 tribrachys post tribrachyn ponitur, quod non legetimum est, verum ex industria forsan poeta fecit ut linguæ velocitatem exprimeret : «... *non posse inani concavo verba exprimi Quæ concrepare ligula moderatrix facit.*»)

Cæsuram penthemimerem plerumque servat. Exceptio est in Cath. VII nulla. Exceptiones sunt in Perist. X tres (17, 67, 921); in Psychomachiæ præf. duæ (43, 60).

Ponit plerumque spondæum tertio pede quasi vellet cæsuram in longa esse.

Ex his omnibus patet iambicum trimetrum apud Prudentium plerumque sic poni :

– – ᴗ – – – ᴗ – – – ᴗ ᴗ

quod optime ad probatam ætatem refertur.

Adde exceptiones multo sæpius occurrere, vel licentias, in Peristephanon X qui fere non aliud est quam mera narratio, quam in Cathemerinon VII qui hymnus vere est.

§ XXVI. — (P) *Stropha trium trochaicorum septenariorum* (Cath. IX, Perist. I).

Non dubitandum quin Prudentius antiquum hoc et populare metrum restituerit. Si quis enim vellet hic non septenarium legere, sed primum trochaicum dimetruun («*Da puer plectrum, choreis*») dein trochaicum dimetrum catalecticum («*ut canam fidelibus*») tota via erraret. In toto enim Cathemerinon IX et toto Peristephanon I unam, sine altera, elisionem inter extremam dimetri syllabam et primam dimetri catalectici reperies, ita ut non solum non duos hic versus habuerit Prudentius, sed ne versum quidem septenarium, quod licebat, asynartetum voluerit esse. Adde eodem in loco hiatum esse nullum. Unum igitur et solidum versum habemus.

Quem versum, non antiqua libertate usus, qua Lucilius, Varro, comici

usi erant, strictim ex trochæis et spondæis componit Prudentius, trochæis dominantibus, ita plerumque :

- ∪ - - - ∪ - ∪ - ∪ - - - ∪ ∪

Bis tantum anapestum admisit Cath. IX, 103 :

Pōst ŭt | ōccā|sūm rĕ|sōlvīt | vītæ ĕt | hŏmĭnēm | rēddĭ|dĭt

et Perist, I, 63 :

Tēmpŭs | ēst Dĕ|ō rĕ|pēndī | quĭdquĭd ēst | prōprĭ|ūm Dĕ|ī

Hic est versus asynartetus quem supra notavi :

Hōc gĕ|nus mor|tīs dĕ|cōrŭm, | hōc prō|bīs dīg|nūm vĭ|rīs. (*Perist.* I, 25)

Terni versus strictim hac interpunctione « . » vel « : » concluduntur.

§ XXVII. — (Q) *Stropha quatuor parœmiacorum* (Cath. X).

Plerumque parœmiacum ita disponit Prudentius : ad libitum |- -| vel |∪ ∪ -| sinit esse primum pedem ; deinde ita pergit : ∪ ∪ -|∪ ∪ -|∪|

Exceptiones ad secundum pedem pertinent, qui ex spondæo constat in 19 versibus ex 172 (36, 68, 64, 75, 77, 87, 105, 106, 118, 127, 135, 144, 146, 159, 167, 170, 171, 172). Sed quoties spondæus est ad secundum pedem, anapestus est ad primum, ita ut sic versus ponatur : ∪ ∪ - - - ∪ ∪ - ⏓ . Semel spondæum et primo et secundo pede posuit - - - - ∪ ∪ - ⏓ (87) Spondæum tertio loco posuit nunquam,

§ XXVIII. — (R) *Archilochius major* κάτα στίχον (Perist. XIII).

Videmus supra (§ XV) quomodo archilochio majore utatur Prudentius, cum metrum archilochium quartum tractat. Normam fere similem sequitur quum archilochium κάτα στίχον tractat. Itidem semper dactylum primo loco ponit, sine ulla exceptione. Penthemimerem servat fere semper (excepto uno versu 2). Attamen liberiorem archilochium habere videtur cum κάτα στίχον tractat eum, quam cum per strophas. Cæsuram enim archilochio majori propriam, id est bucolicam (« *Solvitur acris hiems grata vice|veris et Favoni* ») ter tantum in Perist. XII omiserat, et non sine excusatione (vide § XV). In Perist. XIII versus 22 sunt sine cæsura bucolica (3, 4, 15, 16, 18, 23, 25, 31, 36, 38, 39, 49, 54, 58, 68, 76, 78, 80, 82, 83, 87, 98). Plerumque, cum cæsura bucolica deest, penthemimeres occurrit. Duo tantum sunt versus ubi et penthemimeres deest et bucolica (23, 82). Est versus (83) ubi bona est bucolicæ omissio, qua metrum quasi irruere videtur :

Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti (*Perist.* XIV, 83)

§ XXIX. — (S) *Stropha quinque glyconicorum* (Perist. VII).

Glyconicum per strophas eadem ratione ponit ac κάτα στίχον (vide supra § XVI) scilicet - - - ᴗ ᴗ - ᴗ ᴗ, nulla hic exceptione.

§ XXX. — (T) *Stropha tricolos tristrophos ex uno glyconico, uno asclepiadeo minore, uno asclepiadeo majore constans* (Præf. universa).

De hujus strophæ compage aliquid diximus (§ X). De singulis versibus nil dicendum, nisi Prudentium glyconico hic uti quamadmodum vidimus supra (§ XVI, § XXIX), asclepiadeo minori quemadmodum et supra vidimus (§ XXIII); asclepiadeo majore secundum probatæ ætatis normam (Cf. Hor. Carm., I, 11, 18, IV, 10). Nempe hunc versum constanter tripartito secat, cæsura altera post penthemimerem, altera aute duplicem quo concluditur versus dactylum, hoc modo :

Annum cardo rotat | dum fruimur | sole volubili (*Præf. univ.* 3)

more Horatiano. Semel penthemimerem amisit, versu 6 :

Quid nos utile tanti spatio | temporis egimus

instar Horatiani « *Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui* » (Carm. I, 18).

Ex illis omnibus apparet Prudentium non sordidum poesis latinæ alumnum, vel, si paucis ignoscas, magistrum fuisse. Quod ad hexametros attinet nihil novi protulit, et mediocris, sed inter mediocres non spernendus, haberi debet. Quod ad lyricos numeros, antiqua restituit sedulus probatæ ætatis imitator et æmulus. Nempe, his temporibus cum maxima licentia esset, minime licentiis, vel probatis, utitur. Ut cuique metro suam notam et quasi indolem propriam servet, dominantem pedem maxime pollentem suis in juribus facit, substitutione omni fere absolute remota; non, Christianorum ceterorum more, quod syllabas numeret, nam sæpissime anapestum pro iambo, cum jus est, ponit, atque etiam arsin crebro solvit, verum ut auribus jam minus purgatis enucleate et acriter metrum merum infigat. Inde iambicis in versibus, cum ad libitum iambum vel spondæum primo pede ponere potest, iambum ponit, ceu auditoris quam primum aurem monere velit. Nova protulit parce et pudenter, strophas monocolas Christianorum imitatus, sed interpunctione strophas adstricte secernens, ne stropha monocolos in continuum metrum verteretur. Tricolam stropham unam protulit non multum ab antiquo more abhorrentem, et prope ad exemplar Horatiani metri fictam. — Colligendum igitur hoc Christianis fuisse decus quod unus ex eorum numero optimus lyricæ poesis latinæ refector et restitutor fuerit.

CONCLUSIO

Sat, confidere ausim, dictum est, ut quanto pondere, quod præsertim ad lyricam rem attinet, fuerit Prudentius intelligatur. Non opus est vel memorare qua ubertate, qua diversitate polluerit qui epicum genus, et lyricum, et præceptivum, et suasorium et παραινετικὸν, et satiricum, et laudativum, vicibus, nunquam operi impar, tractaverit. — Vere latinus, latinorum vere heres, romanum sapit, ut qui præceptivam poesim colat, tanto apud Romanos honore cumulatatam, Lucretiumque in *Hamartigenia* non semel in memoriam revocet; latinis et conferendus, cum eloquentiæ et oratorio generi semper indulgeat, feliciter sæpius, verbositate parum attica interdum subrepente; latinorum inserendus numero, cujus si curam animadvertas vivide rerum species exscalpendi, concretas, ut ait Ebert, ὑποτυπώσεις *(concreter veranschaulichung)* efficiendi; latine et sentiens, cum, feritate quadam raptus, diutius, gravius in horrendis describendis spectaculis immoratur; ne mireris quod tanta sedulitate illorum vestigia, quod ad dicendi genus, pone secutus sit, quibus tanta affinitate, propinquitate cohæreret. — Non tamen servo pecori annumerandus, nec imitator merus, non novos solum sensus emisit, versus antiqui saporis recentibus rebus (ut commendat Chénier noster) nisus accommodare, sed etiam novam lyrici carminis speciem procudit, quam conferre tentavi uni aut alteri generi antiquo, cujus tamen nullum vere exemplar apud antiquos exstitit. Scilicet, Cathemerinon equidem scribendo, Flaccum christianum gerere, Ambrosii, nimium populari, hymno contempto, non infelici curiositate conatus est; verum, Peristephanon hymnis in lucem editis, genus omnino novum lyrici carminis in medio positum fuit, epicum idem et lyricum, quo et auctor jucunde, et posteriores jucundius usi sunt. — Allegoriæ non auctor, cum et latini ethnici poetæ, a Virgilio ad Claudianum, huic sæpius indulserint, et Ambrosius hac figura vulgo usus sit, sed restitutor et vere magister, quod nihil magis quam schema erat in genus dicendi perpetuum vertit, et συμβολικῆς poesis inventor apparet quam tota media ætas coluit, combibit, spiravit. — Ita fit, tot, tam variis dotibus in uno homine versantibus, ut Prudentii memoria per diversissima studia litterarum prodeunti occurrat, sive, cum

Dantem adimus, poetam meminimus qui poesim ex theologia petiit [1]; sive, cum nostrum *Roman de la Rose* volvimus, et *Franchise* adversus *Dangier*, *Honte* adversus *Bien-Celer*, *Paour* adversus *Seureté* prælia legimus, vel *Veneris* cum *Amoris Exercitu* descriptionem [2], Psychomachiam recordamur; sive, cum mediæ ætatis in *cantilenas* incidimus, lyrica eadem et epica veteris nostri vatis carmina repetimus. Inde doctissimorum virorum, Erasmi, Petri Bayle, studium et admiratio. Inde, cum habeant sua fata libelli, Prudentianorum fautores præclari, qui forsan non sibi cum Prudentio rem esse suspicati sunt, Cornelius et Racinius nostri scilicet, qui, cum Breviarium Romanum in carmen gallicum verterent, Prudentii Cathemerinon *Matutinum* et *Ad galli cantum*, partim, inscii verisimiliter, interpretati sunt [3]. — Ut proxime tantum ad Prudentium pertinentia spectemus, huic præcipue sententiæ, finem dicendi facientes, hæreamus, Prudentium illius latinarum litterarum reparationis, quæ desinente quarto seculo, ineunte quinto, facta fuit, rerum pondere, sermonis integri cura, non participem solum, sed potissimum fuisse auctorem.

[1] Cf : F. Delavigne : *De lyrica apud P. poesi* (Toulouse 1848) — De P. theologia vide A. Bayle : *Étude sur P.* (Paris, 1860) p. 91.

[2] *Roman de la Rose.* v. 16241 ad 16736.

[3] Addendusne est noster Villemain qui cum exquisitos, mirandos versus : « *Salvete flores martyrum...* » merita laude prosecutus est (*Litterature au* XVIIIe *siècle,* Leç. II), anonymo cuidam poetæ eos assignavit ?

HIC SUNT RELATÆ OMNES CODICIS QUI PUTEANUS DICITUR LECTIONES QUÆ AB EDITIONE ALBERTI DRESSEL ABHORRENT

PRÆFATIO UNIVERSA

deest

CATHEMERINON I

26 « Mortis imago est perpetis »
33 « somnus »
58 « prolabsum »
88 « somniis »
97 « somnum »

CATHEMERINON II

4 « descedite »
12 « pallescet »
78 « labsante »
95 « labsos »

CATHEMERINON III

13 « adque cibos »
22 « flagrat odor »
29 « strofio »
55 « alumna »
58 « famis »
75 « conubii »
128 « tripinguia » (in textu et in restitutione marginali recentiore)
138 « prius »
147 « adque »
183 « A » (pro *Ah*)
203 « sarcofago »
204 « homo »

CATHEMERINON IV

39 « inlabsis »
48 « alumnum »
54 « victus »
59 « profeta »
72 « aleluia »
78 « repelles »

CATHEMERINON V

19 « alemoniam »
24 « ignem »
41 « cærule »
63 « in mare » (quod recentior manus correxit « im mare »)
86 « solo »
88 « ut voret »
103 « difflata »
114 « flagrat »
135 « functorum »
136 « sulpure »
145 « stilligeram »

CATHEMERINON VI

6 « vis ac potestas una »
35 « ætra »
61 « regressus »
76 « tacenda » et in correctione marginali « tuenda »
102 « antichristi »
104 « pulcrhum »
106 « ausa » (sine *est*)
129 « vacante »
140 « actu »
145 « descede »

CATHEMERINON VII

34 « afflaret »
55 « illabsa »
84 « benignum »
100 « paulum »
134 « impendet »
176 « loquar »
200 « triunfet »
221 « centiplex »

CATHEMERINON VIII

9 « summissum »
35 « hyrtæ »
38 « umeros »
63 « umor »
64 « enervans »

CATHEMERINON IX

25 « vatis »
26 « profetarum »
28 « lymfa »
36 « medella »
40 « extimum » et recentiori manu correctum « extremum »
44 « funererat »
57 « lymfaticum »
58, 59, 60 : 60 apud Dressel est 58 in Puteano, 59 est 59, 58 est 60
59 « adcubentum »
60 « qualis », « quaternis »
66 « et »
72 « dissolubilis »
78 « ætræ »
83 « triumfalem »
92 « astutia »
102 « labsus »

CATHEMERINON X

9 « resoluta »
10 « proprios revocantur in ortus »
11 « petit halitus aera fervens »
12 « humus accipit arida corpus »
13 « sic cuncta »
14 « obitum tolerare supremum »
15 « vi semina dissociata »
16 « sibi sumat origo resorbens »
19 « monstrans »
29 « ad » (pro *at*)
36 « collegia »
56 « somno »
83 « medella »
100 « tinguet »
112 « ipsa »
117 « querella »
130 « cui nobilis ex patre fons est »
134 « illa »
136 « enigmata »
150 « adque »
154 « illa Lazari » (pro *est Eleazar*)
155 « sæptum »
158 « triumfas »
164 « adimerat »

CATHEMERINON XI

67 « harenas »
85 « fidelis »
92 « lymfatam »
104 « inritis »

CATHEMERINON XII

15 « adtamen »
48 « inmulator »
70 « odos »
71 « myrreus »
85 « profetis »
141 « Faraonis »
171 « Amalec »
186 *genus* est omissum
203 « Scyta »
207 « imbicilli »

APOTHEOSIS PRÆFATIO

Nil differt

ALTERA PRÆFATIO

20 « calumniosis »
25 « sycofantarum »
47 « fertiles »

APOTHEOSIS

15 « spernenda »
23 « gnatum »
27 « ni se »
34 « loquellis »
79 « ad non »
108 « fluxisse »
110 « scribtura »
139 « prolis »
154 « alumnos »
160 deest
203 « labyrinthus »
210 « rutunda »
216 « scottus »
235 « loquella »
248 « sibi ipse repente »
260 « sensus »
269 « generavit unus »
277 « ad qui »
302 « scribtor »
325 « Bahal »
335 « adque »
349 « solemne »
360 « procellis »
367 « ad tu »
377 « scribtorum »
413 « hejulat »
439 « regit »
454 « orbi »
492 « alumnus »
497 « hostilia »
507 « imperii »
522 « columnis »
528 « districtum »
537 « ad tua »
546 « heres »
560 « excellet »
579 « loquellis »
593 « medellæ »
702 « purgamen »
712 « fæno »
753 « damnarant »
794 « *sed illud* est omissum
810 « adque »
845 « bonum »
857 « collige »
880 « labsam »
895 « agenitus »
898 « exsortem », « adque »
899 « culpæ »
902 « vivescere »
947 « naturans »
1000 « heres »
1011 « Symeonem »
1012 « adque »
1015 « liquiscant »
1083 « contemnite »

HAMARTIGENIÆ PRÆFAT.

33 « fratricida »
36 « corruptissimi »
59 « lymfatico »
63 « halitus »

HAMARTIGENIA

8 « adque »
64 « hæresim »
69 deest
79 « æquiperabile »
108 « dicionis », « retentet »
148 « triumphos » (etsi plerumque *triumfus* exhibeat)
165 « ad non »
215 « labsus »
228 « brucus »
232 « frutectis »
234 « rhododafnen »
242 « præscribta »
267 « yacinthis »
281 « dicione »
292 « feræ »
354 « umor »
356 « incorruptus »
394 « circumsedet »
403 « sofistas »
408 « triumfat »
416 « Zebusiacæ »
420 « cittæ », « Ferezea »
450 « hieremias »
462 « memfitidis »
475 « columnari »
483 « adscribtam »
497 « Eufratis »
500 « allofylos »
529 « imperio »
546 « agitabile »
575 « vatis »
610 « Beliadæ »
640 « inquid »
650 « damna »
651 « obbrutiscentis »
664 « secunda »
692 « adqui »
715 « suadellis »
753 « umor »
759 « conlabsa »
766 « conjux »
779 « orfan »
780 « sacrisque vacantes »
784 « præpotia »
787 « Davitica »
797 « Planities »
816 « sætæ »
826 « subfodit »
850 « exsuperat »
881 « hylæ »
906 « stilligerum »
918 « sæptus »

PSYCHOMACHIÆ PRÆF.

31 « bucula »
40, 41, 42 omissi sunt
60 « parente natus alto et ineffabili »

PSYCHOMACHIA

34 « guttoris »
38 « nunc »
60 « olofernis »
66 « sum umbra »
87 « jacis »
95 « vertex »
132 « cando »
140 « informata »
142 « nare rebellis »
164 « magistras »
221 « dicionibus »
222 « robure »
261 « planitiem »
266 « cæspite »
288 « ante »
305 » pinnis »
312 « delibata »
323 « harundo »
328 « inlex »
371 « erimi »
384 « genetricem »
424 « faustis »
432 « cæde »
438 « linquid »
484 « offendicula »
527 « omnes »
528 « thensaurus »
651 « minaces »

654 « relaxo »
709 « exsanguis »
712 « fantasmate »
714 « domus »
727 « in commune bonis tranquillæ plebis ad unum »
728 « sensibus in tuta vallis statione locatis »
729 « extruitur media....... »
746 « contio »
799 « immo »
816 « phalangas »
826 « planiciem »
836 « actu »
855 « sappirum »
856 « variabat »
860 « sardonicem », « ametystina »
861 « sardium »
879 « reciso »
886 « decorem »
901 « tætro »
905 « animam »
91 « onmes »

PERISTEPHANON I

3 « scribta »
24 « damnum »
25 post « decorum » adjectum est in margine eadem, ut videtur, manu, EST
33 « armis nunc militat sacrariis »
60 « chirografo »
72 « adtrita »
85 « anulus »
87 « intrant »
94 « credes »
11 « alluit »

PERISTEPHANON II

4 « triumfas »
32 « prætulit »
57 « inquid » correctum minore littera « t »
69 « scyfis »
96 « nomisma »
104 « marsuppio »
113 « inquid »
114 « æclesia »
126 « indutiarum »
134 « spem »
154 « corrupta »
166 « fervidus »
169 « adsistas » correctum « assistas »
221 « committe »
228 « laboris »
233 « principium «
239 « hydrobs »
263 « coles »
265 « dispicis »
290 « corrupta »
303 « damnum «
305 « eclesiæ »
313 « furens »
314 « et »
318 « strofas »
328 « retudit »
371 « stefanus »
437 « confæderantur »
448 « Frygum »
463 « primam »
479 « damnet »
513 « suerat »
521 « domos »
531 « comminus »
567 « jocantur »
568 « Haut » (pro haud)
570 « alumnos »
579 « martyras »
580 « medellam »

PERISTEPHANON III

11 « adque »
40 « ruit »
52 « columniferum »
61 « pervigili »
96 « furiis »
109 « sole »
110 « thalamis »
130 « carnificis »
158 « exsuperat »
173 « adtonitus »

PERISTEPHANON IV

8 « Crhisto »
19 « Acliscum »
54 « Christo »
78 « triumfum »
102, 103, 104, 105, omissi sunt
132 « umor »
134 « negarit »
147 « conscribtum »
151 « Iuliam »

PERISTEPHANON IV

158 « primitivæ »
159 « triumfos »
177 « trucentur »
179 « tuque, Vincenti, tuus sanguis hinc est »
180, 181, 182, 183, 184, 185, 186, 187, desunt
190 « labsibus »

PERISTEPHANON V

3 « mercis »
22 « publica »
23 « rexuere sauxit omnia »
66 « srutum »
90 « viscerum »
99, 10 « Illos reorum plutones Pastos resectis carnibus »
133 « nil illa »
137 « alumni »
139 « paulum »
Cetera desunt.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XI Kalend. Aug. Ann. MDCCCLXXXII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX

Burdigalæ, ex typis G. GOUNOUILHOU, via dicta Guiraude, 11